

**Rectore Magnificentissimo Serenissimo Principe Ac Domino Dn. Friderico
Avgvsto Principe Regio Etc. Apparatum Philistaeorvm Bellicvm Ad Vindicandvm
Locvm I. Sam. XIII. Com. V. : Cvm Olim Tvm Nvper Admodvm Sollicitatvm**

Vitembergae: Literis Schvltzianis, [1711?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870589431>

Druck Freier  Zugang





49. 65°

50

Fa - 1092 (50.)



1. Christi. Sigism. Georgii dis. Qua dispensatio nunc amarantorum in Germania in Biblia S. V. T. et cananea renovatur. Witels 1797.
2. Arn. Frider. Neubaueri vindiciae Theologiae Mosicae aduersus fidei. Wertheimensem. Lips. 1737.
3. Christo. Sonniger de confessione mortuoli a Iesu ad Gen. II. 7. A.D. 1702.
4. Berah. Henr. Bonkiser de Cain a Deo iniustae irae coniuncto. ad Gen. III. 7. Gen 1727.
5. Jo. Christo. Orkobius de signo Caini ad Gen. IV. 15. Lips. 1711.
6. Joh. Wiel. Hildigerus de homicidio et occidita Lamech ad Gen. IV. 23. Witels 1673. orbis.
7. Abrah. Kriegel de annis ante diluvium montalibus a Deo tribatis ad Gen. VI. 3. Lips. 1736.
8. Jos. Gail. Bacur tricor quæstio nua ad diluvium preteriactum Helosc. 1710.
9. Gottl. Eckhelia Le Specie auctoritatis publicar. Abrahamis ad Gen. XVIII. 27 Witels 1670
10. Joh. Laubertus de statua Iesu et Rothi ac fidei operis facta Gen. XIX. Helmst 1674.
11. Rud. Bernh. Kemme de vera ipsius Desi apparitione ad Gen. XXI. 1738. contra Iust. Wertheimensem Lips 1798.
12. Aug. Pfeiffer de Teraphim ad Gen. XXXI. Witels 1663 et 1674.
13. Iacob. Ehrenf. Pfeiffer de mala morale ob diuinam ad bonos finis directionem ac operis Desi hanc rafereamus ad Gen. XI. 21. Gen. 1737.
14. Abel. Mon. Verwoertius de bello Domini in Amalek ad Cod. VIII. 8-13. Gen 1736.
15. Iu. Gail. Langus et Dan. Gottl. Krueger de jure vitaee et mortis, utrumque Gen. XI. 20-21. epis. quæst. an non. Haleij. 1733.
16. Joh. Trifolmuth Dis. an Hebrei statuat et in fine eius propria sermone ad Gen. XVII. 1. Gen 1658.

17. Bem de Prophete Moysi ad Deut. XVIII, 15; Gen. 1668.
 ex. Iud. Christo. Bloßheit de questione: ex liceat in bello fructuoso
 ror arboris expidere. ad. Deut. XXI, 19. Lipp. 1703.
18. Joh Brischmuthius dis. ad. Deut. XXIII, 2. Iff. 2. Ig. XXI, 7. Rost.
 11. 5. 6. Joh. XII, 7. Quibus personam et personam docto-
 res multitudinem oculi nominis et quod de promissione fuisse
 prophetam probare fatequantur. Jen. 1665.
19. Abrah. Calvini Paralipomena ad Annobata ante gratiam ad
 Castum Mapi. Del. XXXII & XXXIII. Witteb 1660.
20. Theod. Hofmeier de Jefchurone ad Deut. XXIII, 15. Brem 1710.
21. Joh. Christo Wulpius de apparatu Philippiacorum belgiorum
22. ad 1 Sam. XIII, 15. Witteb. 1711.
23. Sieg. Friedr. Zacharias de iusta suppicio Israeletum ab He-
 nricano resuscitatis causa. Kil. 1737.
24. Franc. Wolarius de praevia uicti curia in Job. lectio cui-
 tander. Witteb 1739.
25. Geor. Henr. Gotzner cologa cum Lutherum librum Jobi cum
 Terentii scriptis et Virgilii Aeneide contulerunt Lips. 1700.
26. Froni. Wokenius de integritate septem originalis Jobi contra Cle-
 riuum via dicata Witteb 1732.
27. Joh. Helv. Wilckenius de opere pietatis ad Pf. 11. 12. Witteb 1670.
28. Joh. Cas. Schrammius de optato manu Christi epist. ad Pf.
 11. 12. Helmst. 1727.
29. Buehl. Spiegelius de legge gloria corporis Christi in opere
 existenti ad. Pf. XVI. 10. Götting 1750.
30. Andr. Sennertus de cruce crucifixorum 1780 ad. Pf. XII, 17.
 Witteb 1670.
31. Progr. de angelis Domini extra mitem. id. Pf. XXXIII, 8. Rost. 1711
 Don. Com. Sch. 1728.
32. Don. de plenaria pentecostali ad. Pf. XVIII. 8. q. 10. 11. Rost. 1705.
33. Joh. Christo Brackius de infusione pietatis felicitate ad. Pf.
 LXXXIV, 5. Lipp. 1707.

34. Jo. Phil. Keipper de diuinioris meridiani ad I. xl. 6. Region
 1679.
 35. Iob. Gottfr. Stockius de Scriptis de torrente in via bilante
 et cogit expectante ad I. x. 6. Lipp. raro 1670.
 36. Jo. Laur. Moskensis de officiis Christiani circa desponsacionem
 tae aetate ad Pomer. VIII. 11. 12. Holmst. 1730.
 37. Ben. Gottlob Clarintz de amio institutis et importabilitate
 Salomonis ad Cobal. VII. 16. 17. Lipp. 1726.
 38. Jo. Guicciardini de agri cultura ad Eusebius Et. 1. 3.
 Dan. Act 1707.
 39. Franc. Wolkenhauer de superioris exercitatio Vehatis, seddoris
 Bathsebae, Syndri et Salomonis Logogio ad Loh. XII. 1-19.
 Witten 1750.
 40. Jo. Frischmuthus de Euangeliis Sionis exegiis ad
 Iesu II. 1. Jan. 1669.
 41. Jo. Gar. Lanctotus de virginis filio Immacule.
 Tey 1710.
 42. Jo. Just. Kistnerus de Sepulture Christi ad Ies. LIII. 9.
 Rint. 1699.
 43. Jo. Schudius de continet in vita aetera. Tercium
 ad Ies. LXVI. 23. Lipp. 1721.
 44. Jo. Wijenius de Idolatria Iudaorum Sapientiae
 Idololatriae commentario ad Ieron. II. 27. Lipp. 1670 nec!
 Witten 1709.
 45. A. Theod. Da Foncier de Rabbinismi Philologicae partea anal
 lante. Witten 1674 ad Ier. XXIII. 5. 6.
 46. XI. Christi Reemius de prophetiarum visionibus Sacra
 elici. Tint 1733.
 47. Jo. Reckendorfius de Bapo. No. quatuor. Ecclesi. Lib. ad
 Eccles. II. 1. Lipp. 1710.

- Ag. Jo Weisembondus de anima pro anima ad Exch. 11, 17. 18. 19.
Jan 1692 reimp.
50. Christo Marck Gaffius de LXX hebreonadibus Danielis
Tub. 1734.
51. Jo. Frischmuthi demonstratio, qua Messias primum secundum
conventum Danielis cap. 18. 24. apparet esse crucifixus Jan 1730.
52. Gottfr. Lea. Speciem de desponsatione Christi cum Christianis
sufficiet ad Apoll. 19. 20. Lips. 1711.
53. Gottlieb Gerhardus de divinatione ex baculo ad Hag 1V. 12
Lips 1700.
54. Ies. Reinh. Augustus de Christo gloria temporis posterioris
maiori, quando fuerat prius ad Hag. 1V. 9. Jan 1737.
55. Jo. Frischmuthus de aduentu Elias ad Malachias IV. 5. 6. Jan.
1659.

n.
Q. D. B. V.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO SERENIS-
SIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDERICO AVGVSTO
PRINCIPES REGIO ETC.

APPARATUM
PHILISTAEORVM
BELLICVM
AD VINDICANDVM LOCVM

I. SAM. XIII. COM. V.

CVM OLIM TVM NVPER ADMODVM
SOLlicitatVM

PRAESES

JO. CHRISTOPHORVS WOLFFIVS
PHIL. P.P. EXTRAORD. ET FACVLT. PHIL. ADSCRIPTVS

ET

RESPONDENS

Jo. VINCENTIVS BEHN, HAMBVRG.

EXPOENT AC TVEBVNTVR
IN AVDITORIO MAJORI
PRIDIE NON. APRIL. AN. CI^o I^o CCXI.

VITEMBERGAE
LITERIS SCHVLTZIANIS.

VIRO

MAGNIFICO EXCELLENTISSIMO CONSUL-
TISSIMO QVE DOMINO

DOMINO

PETRO LVTKENIO

J. U. L.

REPVBLICA HAMBVRGENSIS CONSULI PER COMPLVRES
ANNOS GRAVISSIMO MERITISSIMOQVE

EVERGETAE SVO AC MAECENATI
OB SINGVLAREM MVNIFICENTIAM

ET BENEFICIA LIBERALISSIME IN SE COLLATA
OMNI OBSERVANTIA AC PIETATE NVNQVAM
NON PROSEQVENDO

HOC STVDIORVM ACADEMICORVM SPECIMEN
CVM INGENVO PROSPERITATIS ILLIBATAE VOTO

D. D. D.

TANTI NOMINIS

CVLTOR ET ADMIRATOR PERPETVVS
AC DEVOTISSIMVS

Jo. VINCENTIVS BEHN.

Isputatum inter eruditos fuit, antiquiorne an nos-
stra aetas ampliores in exponentibus utriusque foe-
deris tabulis progressus fecerit, adeoque veram
divini Spiritus mentem rectius assecuta:
Atque illi quidem, qui nimio quodam & inconsulto antiquita-
tis amore capiuntur, de palma, antiquis ac primis Christianae
Ecclesiae Doctoribus deferenda, adeo non dubitarunt, ut cau-
sam iniquitatis, & injurii in veteres animi, dicere juberent
illos, qui nostra aetatis praerogativam non exiguum agno-
scere se candide, nec imprudenter profitebantur. Ex eorum
numero sunt eruditi Scriptores Commentariorum Trebocensi-
um, qui ab aliquot annis ad illustrandam artium & Scientia-
rum, quae nostra aetate excoluntur, historiam, in lucem exi-
erunt. Hi enim Tomo I. operis, in Belgio optimo consilio re-
cusi, p. 56. Patrum, quos vocant, commentarios Biblicos o-
mni ope tuendos & vindicandos suscipiunt contra ea, quae
Scriptor praefationis, Thesauro Theologico & Philologico Di-
sputationum Exegeticarum praemissae, de praesidiorum, ad
Scripturae interpretationem idoneorum, defectu, illorum ae-
tate obvio, commonuerat. Si victoria nobis hic statuenda
fuerit, causam videmus nullam, cur posteriori litigantiis
parti palmam deberi negemus, cum illa quidem argumentis
rerum & ponderibus, adversa autem pietate non germana,
& quae a superstitione non multum abest, aciem instru-
xisse videatur. Certe veteres Doctores plerosque omnes so-
lida Critices ac Philologiae subsidia, quae interiori linguarum
Sacrarum, et omnis generis antiquitatum notitia, pariter ac
cauta Codicum comparatione, fere continentur, desiderasse ne-

mo dubitabit, nisi qui se harum rerum existimatorem parum
idoneum praestare velit. Adiri potest Jo. Clericus in dissert.
de Interpretatione Scripturae Sacrae, quae in limine Commen-
tarii ejus in Genesin legitur, et in Bibliotheca Selecta Tomo
II. p. 269. nec minus Jo. Braunius in epistola, qua Selecta Sa-
cra dedicavit. Vicissim nostram aetatem his, non ornamen-
tis illis quidem, sed mediis necessariis magis, et supra, quam
dici potest, instructam esse imperitus sit, qui nesciat, ingra-
tus, qui dissimulet. Quod DEI beneficium ut merito conce-
lebramus, ita non minus dolemus, interdum Interpretum cul-
pa accidere, ut, quibus mediis Sacer Codex vel illustrari vel
vindicari poterat, ea illi nunc tenebras, nunc ex parte inte-
ritum afferant. Loquor de illis, qui ingenio nimis luxurian-
tib ad haec sacra, reverenter tractanda, accedunt, atque id
sibi in sacra monumenta licere arbitrantur, quod Critica ca-
stigatior et adstrictior vix in profanos scriptores licere dixerit.
Exemplo nobis bac vice erit locus 1. Sam. XIII. 5. quem sae-
pius et nuper admodum praeter rationem sollicitatum fuisse
ex accuratiori ejus, quam aggredimur, consideratione appa-
rebit.

LO-

LOCVS.

i. Sam. XIII, 5.

וּפְלִשְׁתִּים נָאָסְפוּ לְהַלְּחֵם עִם יִשְׂרָאֵל שֶׁלְּשִׁים אֲלֹף רַכְבָּן
וּשְׁשִׁת אֲלֹפִים בְּרַשְׁם וּמִבְּחֹל אֲשֶׁר עַל שְׂפַת הַיָּם קָרְבָּן:

Vulg.

Et Philistim congregati sunt ad praeliandum contra Israël, triginta millia curruum et sex millia equitum, et reliquum vulgus, sicut arena, quae est in litora maris, plurima.

LXX. Intt.

Καὶ οἱ ἀλλόφυλοι συνάγονται εἰς πόλεμον ἐπὶ τὸν Ισραὴλ, καὶ αὐτοῦ γένεσιν ἐπὶ τὸν Ισραὴλ τριάκοντα χιλιάδες ἀρμάτων καὶ ἔντεκα χιλιάδες ἵππων, καὶ λαὸς ὡς ἡ ἄμμος ἡ ταραχή τὴν θάλασσαν τῷ πλήθει.

Targum.

וּפְלִשְׁתִּים אֲתַבְנִישׁוּ לְאַגְחָה קָרְבָּא בִּישְׂרָאֵל תְּלִין אַלְפִים
רַחֲכִין וְשְׁתָא אַלְפִין פְּרַשְׁין וְעַמָּא כְּרַחָא רַעַל כִּיפָּה וְמַא לְסָגָן:

§ I.

Um locus, quem accuratius considerandum sumsimus, a variis ita sit tentatus, ut eum ad ingenium suum vel refingere, vel interpretari conarentur; institutum nostrum optime nobis persecuturi videmur, si ante illorum sententias

A.

tentias

tentias exploremus pariter & examini subjiciamus, quam nostram idoneis argumentis confirmandam aggrediamur.

§. II. Post versiones itaque, Syriacam et Arabicam, quae contextui Hebraico mutatione quadam suppetias ferendas esse immature censuerunt, vel primus vel præcipuus inter Christianos, idem consilium iniit is, qui ex depresso Codicis authentici auctoritate, & Vulgati Interpretis dignitate juxta cum Morino, ceu non nulli, ipso quidem reluctante, (vide ipsius Apologeticum, et Rich. Simonis epistolas selectas c. IV.) suspiciati sunt, sedulo amplificanda & auctoritatem sibi & famam comparare allaboravit. Hic enim in Critica sacra, quam Richardus Simon in praefatione et limine Historiae Criticae V. T. itemque in epistolis Selectis eo, quem modo adduximus, loco, ceteris omnibus preferre non veretur, inter cetera profanae, de pandectis Sacris, sententiae praesidia, nostrum locum eadem ratione, qua Syrus & Arabs, utriusque forte exemplo adductus, refingit. Verba ejus lib. VI. p. 429. ita habent: Philistae dicuntur congregati adversus Israelitas cum triginta millibus curruum & sex millibus equitum. Atqui nunquam tanta est curruum armatorum & falcatorum copia, quanta equitum. Itaque videtur omnino legendum, tria millia curruum non vero Triginta millia: sic enim apta erit proportio equitum & curruum nempe dupla, & facilis lapsus ex שְׁלֹשִׁים in שְׁלֹשִׁים, cuius exempla alia sunt supra allata. Vel si retinenda est lectio illa 30000, curruum, augendus erit numerus equitum, dicendumq; erit 60000. equitum, ut rursus sit dupla equitum & curruum proportio, qualis solet esse. Sed nimius videtur esse ille curruum & equitum numerus, adeoque priorem conjecturam isti praeferrere.

§. III.

§. III. Adjunxit se huic Hugo Grotius Lud. Capelli, quod illustris ex Nostratibus Interpres B. Calovius suspicatur, exemplum secutus, cuius Criticam Sacram in scrinio adhuc latentem, cum Grotio communicatam fuisse ex praefatione, operi praemissa, appareret. Ubi enim textum nostrum illustrare aggreditur & ingentem illum curruum numerum commemorari videt, his utitur verbis: *Nimium hoc p̄ae numero equitum, qui sequitur.* Itaque sunt, qui postremas duas literas abjiciendas censent, ut sint tria millia. שְׁלֹשׁ אֶלָמָת

§. IV. Eandem sententiam amplexus, & professus est Jo. Stephanus Menochius, Ordini Lojolitico quondam adscriptus, in eo opere quod Parisiis 1648. fol. de Republica Hebraeorum evulgavit. Quando enim is libro VI. cap. XI. de armis, ad petendum hostem accommodatis, commentatur, curruum quoque bellicorum diligentem mentionem facit, nec diffitetur §. VIII. rem satis obscuram esse, & singularem difficultatem objicere Samuelis locum, qui eum referat curruum numerum, qui immodicus ac propemodum supra fidem videatur. Affert deinde ex Saliani Annalibus Tom. III. pag. 74. variatio curruum, in Sacro Codice memoratorum, exempla, eo quidem confilio, ut ostendat, nullibi numerum tam amplum, quantum ex nostro loco intelligas, inveniri. Hinc ex Saliani mente argumentatur, curruum tam grandem numerum videri vix credibilem, cum, si singulis curribus quatuor equi assignentur, numerus equorum bellicorum ad centum viginti millia sit perventurus, quot vix totus Oriens suppeditaret, ne dum perangusta terrae lacinia, etiam si eis Tyrios & Sidonios jungamus. Tandem ipse, explicata ex curribus pugnandi ratione, in mendi suspicionem textum vocat, idque ex eo

eo irrepsisse ait, quod Hebræi literis alphabeti pro notis arithmeticis utantur. Tria itaque millia curruum in aciem a Philistaeis productam censet, quem numerum numero equitum, ex curribus scilicet pugnantium, satis accurate respondere arbitratur. Cumque facile expectatione praeciperet, se apud ingenuos & cordatos Scripturae Interpretes temeritatis notam vix effugere posse, qui violentas manus contextui Hebraico inferret, praecipue cum Vulgata editio, illius vestigiis hic insitens, & a mendis publica auctoritate libere pronunciata, per istius latus peti videretur; ad aliorum, ac nominatim Serarii & Bonfrerii, exemplum provocat, qui suis in Scriptutam commentationibus conjecturas hujusmodi, quibus emendationes continerentur, immiscere non dubitarint.

§. V. Sequitur Sam. Bochartus, quo, si Stephani le Moyne in notis ad Var. Sac. p. 551. judicio standum est, literae Orientales nullum habuere doctiorem et nobiliorem Vindicem, & de quo nihil tam magnificum dicere se posse, quin id eruditio ejus superet, Hermannus Witsius lib. III. c. IV. p. 217. Aegyptiacorum profitetur. Hic in illustri ceteroquin & multae industriae opere, quod Hierozoicum inscrispit, Parte II. lib. II. c. IX. p. 156. edit. Francof. de equis generatim ac speciatim Salomonis equitatu erudite commentatus, numerum currum, quos Scriptura pasim Regibus tribuit, ad examen revocat, ac Salomoneum ceteros omnes superare confirmat. Qua ipsa observatione ad nostrum locum deductus ita pergit: *Et, sicuti major fuit (numerus) audeo dicere, loca esse de mendo suspecta, quod in numeris pasim accidere nemo negaverit, qui non sit idem harum literarum plane rudis atque imperitus. Puta, cum 1. Sam. XIII. 5. censem.*

censentur in castris Philistaeorum curruum triginta millia, res omnino est παραδόξος. Itaque pro triginta millibus Syrus Interpres & Arabs habet tria millia curruum, quomodo illas legisse par est in Hebraeis, quibus usi sunt, exemplaribus: id est שְׁלֶשׁ מֵאוֹ שָׁלֶשׁ תְּמִימָה pro אלף quod ipsum valde multum est. Sed in his tribus millibus fortassis plerique fuerunt sarcinarii.

VIII. Post illos Jo. Clericus in Commentario, quo libros Historicos illustrat, ut alia multa, profanam Criticam sapientia, & partim ipsius ingenio inventa, partim ab aliis mutuo sumta, in medium attulit, Anglorum & Jo. Marckii, Theologi in Belgio Lugdunensis, in praef. ad Exercitatt. Scripturarias censuram non ita pridem vel hoc nomine promeritus; ita in praesenti etiam loco temperare sibi non potest, quo minus novum insolentiae Criticae argumentum constitutat. Scilicet, postquam Bocharti, cuius & Grotii auctoritatem solicite sequi solet, sententiam recensuisset, eam ita suam facit, ut, quamvis numerum certum curruum definire non audiat, de mendo tamen, textui Hebraeo allato, non dubitet. Haec enim ejus verba sunt, quibus Bocharti argumentationem obsignat: *Sic sane etiam de libris sacris praestat loqui, quam absurda tueri & fidem, quae iis merito habetur, in periculum sic adducere.* Quod ne temere dixisse videatur, sententiam suam ornare & adstruere sequentibus argumentis conatur, quae quamvis fusius sint proposita, vel ideo ipsius verbis repetenda videntur, quod omnes fere ceterorum rationes complectuntur. Hic, inquit, ad animum revocare nos oportet primo, Philistaeorum agros exiguos fuisse & paucorum miliarium in ora maris Mediterranei juxta agros tribuum Simeonis & Danis, ac proinde nullo modo potuisse ex suis incolis suppeditare sex millia equitum

B

&

Et triginta millia curruum, quibus sexaginta millia equorum sunt minimum tribuenda, ut jam pedites omittamus, aurigasque et equites, qui e curribus erant pugnaturi. Secundo: quod si quis dicat, mercenarios fuisse milites, quos in Aegypto et alibi conduxerint Philistaei, aut qui spe praedae ex finitimis populis excurrerint, primum periculosest fuisse tantum exercitum peregrinum conducere, aut in unum cogere, qui facile potuit ipsos Philistaeos subigere; deinde immensam pecuniae summam paratam esse oportuisse, quae tot copiis, velut proficiuntur, solvi debuit, quantum vix credibile est, Philistaeis fuisse; aut certe cogitandum fuisse de commeatu quo tantus exercitus posset ali, saltem in aliquot hebdomades, et tot jumenta sustentari. Tertio: plures semper solere esse equites, quam currus, quia in curribus duplo plures sunt homines et equi. Qui haec serio expendent, facile credent hic ut et alibi a librariis, aut dormitantibus, aut insano studio amplificandarum rerum, a gente sua gestarum, abreptis, auctos esse numeros, nec aegre Bocharto minuendos esse censenti post Intt. Syrum et Arabem adsentientur. Quin et multum esse putat (Bochartus) si concedamus Philistaeis tria millia curruum, vultque maximam partem eorum fuisse sarciniorum. Verum sarcinarii currus, in apparatu exercitum, non solent magis numerari, quam calones et alia turba, quae exercitus sequi solet. Postremo si partem tantum sarciniorum currum hic memorari credas, exigua profecto erit tanto exercitui, quantus hic describitur. Itaque satius mibi videatur dicere, auctum hic quidem esse numerum a librariis, sed augmenti rationem minime definire. Certe magna copia equitum et currum opus non fuit, ad pugnandum cum Israelitis, quibus erant tantum pedestres copiae. Si quis talia admittere nolit, inveniat rationem commodiorem defendendae auctoritatis Sac. Historiae, quaeque cum recta ratione consentiat, et nos non aegre consente[n]tes habebit.

VII. No-

VII. Novissime omnium ex nostratis Vir celeberrimus, et qui non minori eruditionis & diligentiae, quam ingenii, laude literas, quae ad Orientem spectant, variis scriptis illustravit, in eorum societatem abripi se passus est, qui verba textus aliter accipienda arbitrantur. Ex Corollariis VI. et VII. quae dissertationi solenni, qua *Antiquitatem Baptismi Initiationis Israelitarum vindicare oonatur, subjecta leguntur, hanc Viri docti sententiam, diserte satis expositam, intelligas.* Prius ita habet: *Textus (I. Sam. Xlii, 5.) de multitudine curruum, in bello a Philistaeis adhibitorum, nec corruptus est, nec quicquam continet a sana ratione remotum.* Posterius vero ita est conceptum: *Non tamen triginta millia curruum ad habitu afferit; sed שְׁלֹשִׁים heroas mille currū pugnantes: qui ne ducentos quidem currus postulant.* Ex quibus apparet, in textu ipso, quem בַּחֲנֵב appellant Judaei, nihil quidem mutandum, vocem tamen ejus unam aliis vocalibus instruendam illi videri.

VIII. Denique alii, textui inhærentes, vel aliis interpretandi modis rem probabilem reddere conantur, vel metonymicam loquendi rationem statuendam hic esse arbitrantur. Sic Mendoza in hunc locum, currus hos non omnes Philistaeis, sed sociis eorum, et vicinis Regibus tribuit, quorum auxilia ipsi implorasse videntur. Tyrrios speciatim inter illos numerant quidam ex c. VII. 7. Sirac. XLVI. 21. quam sententiam a B. Calovio approbatam, non obscure rejicit Schmidius. Nec parum se juvare textum putant illi, qui currus pretii vilioris et ignobilioris apparatus, ac minoris molis hic designari non dubitant, quibus accedit idem Mendoza et ex parte Bochartus, sarcinariis curribus numerum istum jam ante satis diminutum, absolui arbitratus. Alii denique non

tam currus hic, quam milites ex curribus pugnantes indicari affirmant, nominatim Nicolaus Lyranus, Dionysius Carthusianus, et Cornelius a Lapide. Lyrani verba haec sunt: *Non est verisimile, quod tot essent currus: sed accipitur hic numerus hominum in curribus existentium: quia tunc temporis in curribus pugnabant pro magna parte, ut habetur in pluribus locis scripturae.* Sequitur hos Jacobus Lydius in Syntagmate de re Militari lib. III. c. X. p. 137. Hic enim cum pro more suo (quo suum de Cœna Domini Dialogum Kornmanno, teste Cl. Crenio diff. i. de Furibus Librariis pag. 73. debere voluit) cetera quidem fere omnia, quod observarit Borremansius, ex Hier. Mercuriali & Pet. Fabro exscripsisset, integrum eumque bene longum locum Menochii de Curribus militibus in suas areolas derivans, istam deinceps adjungit epicrisin: *Si quis in re obscura conjecturae locus, dicere rem (servata salvaquae textus sacri fide) 30000. curruum vera scriptum, & intelligi milites totidem, quorum comptures, uni currui insidentes, pugnabant. Quod quidem nonnullos ita exposuisse reperio, sed nulla adducta auctoritate, aut simili loquendi exemplo. Ego vero id reperio Psalm. LXXVI. 7. ubi currus soporatus dicitur, quod de illis accipio, qui currunt vehabantur, militibus, qui minimum duo fuissent videntur, uti equus ibidem equitem designare potest. Ad hanc similem esse locutionem arbitror, Ps. LXVIII. 18. ubi angeli vocantur currus, quia fortes sunt ac strenui instar militum e curribus pugnantium: tum etiam consimiliter per aërem vehuntur.*

IX. Si itaque rem in summam conferre placeat, quatuor diversas classes Interpretum, quorum industriae praefens locus impari felicitate exercuit, constitue-re licebit. Alii enim iisque complures textum quod ad literas nonnihil immutandum censem: alias de men-do

do quidem a librariis profecto, certus, nihil definit; ali-
us sola vocalium mutatione, salva, ut putat, codicis au-
toritate, rem confici feliciter posse existimat; denique
alii receptae lectioni solicite inhaerent, & vel sic nihil hic
inveniunt, quod fidem superet, aut sacram Codicem
irrisorum & leviter de Sacro Codice sentientium homi-
num ludibrio exponat. Ut itaque appareat, quorum
vestigiis insistere tute possimus, singulorum, qui hic
a nobis dissentiant, argumenta ad examen revocabili-
mus, & quae optima videbitur interpretatio, eam de-
inde nostram faciemus.

X. Primum argumentum, quod in praejudici-
um receptae lectionis affertur, petitum est a versioni-
bus Syriaca & Arabica, quae in eo conspirant, ut am-
plum illum triginta millium numerum ad satis angustum
trium millium revocent. Ex quo eam quidem conje-
cturam facere sibi posse Bochartus videtur, utriusque
versionis Auctores in suis exemplis Codicis Hebr. hanc
lectionem, quam ipsi probam putant, invenisse, quae
proinde non ingenio solum sed etiam antiquitatis testi-
monio se commendet. Evidem istam binarum ver-
sionum confessionem nec possum negare, nec, ut ne-
gem, res ipsa requirit, quae arietem hunc facili opera
vel repellat vel confringet. Quotusquisque enim est ex
iis, qui harum literarum vel tralatitiam cognitionem sibi
compararunt, qui non ultiro fateatur, versionibus his pa-
rum omnino in interpretandi negotio tribuendum esse,
quarum & aetas recentior et tota interpretandi ratio,
passim cum effreni temeritate ac contextus vel ignora-
ta vel dissimulata integritate conjuncta, auctoritatem non
parum diminuit. Hinc ipse Clericus, qui hoc in loco
cum Bocharto ad earum fidem provocat, alibi non patu-

lo rectius de illis judicat, nec eam in iis praestantiam agnoscit, quae assensum cuiquam extorquere possit. Cum enim in loco alio, eoque huic non dissimili 1. Chronic. XX. 7. utrumque Interpretem a contextu Hebr. abiisse videret, quem ipse quoque putat deferendum, maluit tamen suo confidere ingenio, et audaci conjectura pro Legere רככ quam in illorum sententiam, sane, me judge, veri magis similem discedere. Atque hujus quidem consilii eam affert rationem, quae omnem illius argumenti, quod nunc confutamus, vim dispellit. *Possim* inquit, *bis advocare versionem Syriacam, quae habet equitum non curruum, & Arabicam, quae habet curruum & equitum;* verum cum sint translationes non vitiosae tantum sed nimium audaces, auctoritatem earum magni fieri nolim, nec profecto illis uti soleo. Neque sane quicquam hic dixit, quod non cum veritate consentiat. Sicut enim nemini vitio verti potest, qui versionum Orientalium recentiorum auctoritatem, in praejudicium textus authentici allatam, prudens subterfugit, cum illae non tam ad veritatis Hebraicae quam versionis Septuaginta viralis fidem sint concinnatae, quod praeter Rich. Simonem in Histor. Critica Vet. Testam. Jo. Hear. Hottingerus in Thesauro Philologico p. 339. observavit; ita in laude ponendum est, si istarum, quas diximus, versionum auctoritate ab ripinos nimis incaute non patiamur. Neque enim obscurum eruditis est, priorem illarum, nempe Syriacam, non quidem deliberato consilio ad versionem τῶν LXX. institutam, sed in multis tamen locis ad eam reficiam esse. Nam non puto illos audiendos, qui, sine omni temperamento, inter duplēm, quae exstat V. T. versionem Syriacam id discriminis ponunt, ut alteram quidem eārum ad fidem τῶν LXX, alteram, quae in Polyglottis Parisiensi-

rifiensibus & Anglicanis exstat, ad exemplum Codicis Hebraici comparatam esse statuant. Vtor potius Richardi Simonis, idonei judicis, suffragio, qui, cum de utraque in Historia Critica V. T. lib. II. c. XV. commentatur, posteriorem istam magis quidem & interdum exacte Hebr. codicem referre, multis tamen in locis ad versionem LXX viralem reformatam vel potius ad ceteras Syriacas & Arabicas versiones, secundum τ&ς εδιτα, exactam esse profitetur. Sic itaque nec jactata ejus antiquitas nobis oberit, de qua inspici possunt eruditi Prolegomenorum in Biblia Anglicana auctores & Sam. Bochartus, illud *humani ingenii*, judice Hinckelmanno τῷ μαναεῖτη in praefatione ad Alcoranum, *miraculum*, in epistola singulari ad Isaacum Vossium data, & Tomo II. Operum ejus inserta. Nolo hic cumulare plura, ne ab instituto longius divertamus, aut abjecte de eorum laboribus sentire videamur, qui hoc argumentum jam pridem satis ex cufserunt. Inter eos numero, praeter commemoratos, Hottingerum in Analectis Parte I. diss. II. & in Bibliotheca Orient. c. III. p. 282. Rich. Simonem in disquisitionibus Criticis c. XXI. Rivetum in Isagoge c. 13. Huetium de Claris Interpret. p. 162. Christianum Kortholtum, Theologum pariter & Philologum quondam inter nostrates praestantissimum, in tractatu de variis Scripturae editionibus cap. IV. ac, qui omnium industriam nuperimae vicit, diligentissimum Jacobum le Long in Bibliotheca Sacra c. II. Sect. III. De Arabica versione idem fuerit judicandum, vel potius hujus auctoritas longissimo intervallo infra illam posita est. Quam enim in Bibliis Polyglottis legimus, ejus aetas Saeculum IX. post reparatam salutem non superat, & Auctorem habet maxima ex parte (neque enim omnis illi accepta ferenda est,

est, quod contra Eduardum Pocockium, in Specimine Hist. Arab. p. 361. ita sentientem, ostendit Hottingerus c. VI. p. 93. Smegmatis Orientalis & in diss. de Heptaplis Parisiensi. celebrem scholae Judaicae Doctorem Saadiam, quem a textu Hebraico longius recedere, & nunc Chald. paraphrasin, nunc τ& LXX. nunc Syriacam, eamque loco Codicis Hebr. potissimum sequi eruditii Viri jampridem evicerunt. Quae causa est, cur Rich. Simon Histor. Criticae lib. II. c. XVI. p. 84. hoc de Arabicis versionibus judicium ferat, eas non magnae auctoritatis esse, cum & aetate inferiores sint & pleraque ad Syriaicas negligenter adornatae. Duas enim potissimum existare, alteram ad Hebr. textum alteram ad Graecum τῶν ó conformatam, hoc est, priorem ex Syra versione ad Ebraeum factam, posteriorem ex versione Syra alia LXX. Intt. vestigiis insistente, derivatam esse, ut in utraque eosdem errores invenias.

XI. Ex his ita disputatis conficio, utramque versionem in hoc negotio non audiendam esse, nec duplex ferre testimonium, cum Arabica Syriacam in interpretando sequi consvererit, quod praesenti etiam loco accidisse cur dubitemus? Neque excipi potest, saltem unum fuisse Codicem Hebr. qui eam, quam Syrus Interpres approbavit, lectionem confirmet. Etenim nihil quod a ratione vel veri specie alienum sit, dixero, si non tam praeenunte exemplo Hebraico, quam ex ingenio, conjecturis suis nimium indulgente, omne illud mutandi consilium ab Interpretate Syro susceptum esse confirmem. Res sane non caret exemplo. Ut enim ad ipsam hanc versionem non provocem, quae passim alibi studium suum ab authentico dissentendi prodidit, idem certe accidisse videmus versionibus Chaldaicæ & Graecæ.

Graecae *τῶν* LXX, quarum certe longe major est auctoritas & amplior fides. Quis nescit Septuaginta illos, quos vulgo vocant, Interpretes saepius destinato consilio vel addidisse quaedam, vel omisisse, vel interpolasse, ut nunc Gentibus profanis aliquid darent, nunc nationi suae consuluerent, nunc conceptus suos, quos præter Spiritus divini institutum sibi ex verbis formaverant, disertius exprimerent? Vide vel Hottingeri Thesaurum Philolog. lib. I. c. III. Sect. III, qu. X. p. 325. Junge Clerici commentarium in Pentateuchum, ex cuius indice intelliges locos varios, in quibus ob illas, quas diximus, vel alias forte causas, ingenio obtemperantes, temere ab Hebraeo discesserunt. Idem demonstratus erat, Vir harum literarum peritisimus, Jo. Lightfootus *in disquisitione modesta de LXX. Interpretibus & versione Graeca*, quam publicae luci eum destinasse ex vita, ejus operibus posthumis praefixa, appareat. Inter Chaldaicas Paraphrases communi eruditorum consensu & una omnium voce Onkelosiana praerogativam & principatum tenet; sed nec illa fidem ita semper probat, quin, non dicam ad interpolationes, nullo fundamento superstructas, sed ad fabellas etiam & lacinias longiores, textui Hebraeo addendas, divertat. Assertioni meae fidem facient exempla ab Hottingero in Thesauro Philologico p. 258. & B. Pfeiffero in Critica Sacra p. 221. allata, Quod igitur Judaeis ipsis olim usu venit, ut loca quaedam S. Codicis a sciolis in sinistrum sensum accipi posse existimarent, eorumque indicium facerent per סְוִפָּרִים קָנָה ceu inter ceteros B. Glassius in Philologia Sac. lib. I. Tract. I. pag. 33. seq. Waltonus Prolegom. ad Bibl. Polyglotta VII. 10. & Dan. Cramerus singulari dissertatione in Cl. Crenii Fascell. Exercit. recus. observarunt, id, quin hoc interpretis Syri exemplo confirmari poscit, non dubito. Tantus enim curruum numerus fidem superare omnem illi videbatur, cui

C

proin-

proinde mutatione hac omnium optime consuli posse non minus, ac recentiores illi, existimabat. Ponamus tamen & largiamur ultro, lectionis hujus vestigia in Codice aliquo Hebraico reperta fuisse, num ille unus isque forte recentior opponi poterit pluribus aliis iisque antiquioribus, quos LXX. Intt. Vulgatus & Chaldaeus Paraphrastes exprefserunt? Quod igitur Clericus ad locum i. Chron. XX. 7. monuit, illas quas modo commemoravimus, versiones ceteris rete opponi, id quo minus in nostrae causae praefidum hic repetamus, nihil prohibet.

XII. Vrgent praeterea mutationis hujus patroni, ac nominatum Salianus & Menochius, tantum curruum numerum nusquam in Sacro Codice recenferi, quamvis crebrior apparatus ejusmodi bellici mentio fiat. Sic Pharao ad oppugnandos & revocandos ex fuga Israëlitæ sexcentos tantum currus adhibuisse legitur Exodi XIV. 7. Jabin Rex Cananaeus servitutis jugo eosdem subjecit nongentis curribus instructus, quibus magnam sui admirationem, quod ex textu ipso Judic. IV. 3. intelligas, concitavit. In clade, qua David, rem feliciter gerens, Syrorum exercitum affecit, commemorantur currus septingenti quos in potestate suam rededit 2. Sam. X. 18. Ipse quoque Salomon, nulli Regum vel potentia vel sapientia secundus, cui nihil ad magnificantiam deerat, mille tantum & quadrincentorum curruum copiam habuisse legitur 1. Reg. X. 26. Sic Zerae Chuseo trecenti 2. Par. XIV. 9. Sesaco mille & ducenti 2. Paral. XII. 3. Antiocho Eupatori trecenti 2. Maccab. XIII. 2 tribuuntur. Neque in profanis Scriptoribus tantam vel curruum, vel jungendorum illis equorum, vim ac copiam invenias, quae ad eam assurgat. Atque hactenus sua objectioni constat ratio: neque tamen id permovere nos poterit, ut receptui canamus. Pone enim, non exstare usquam vel in sacris vel profanis monumentis exemplum tanti apparatus, num

num ideo ille semel colligi atque adeo memoriae manda-
ri non potuit? Multa certe in historiis sacris & profanis in-
venias, quae, ut quotidiana non sunt, ita rarius etiam re-
feruntur: neque tamen illa ideo cum ratione in dubium
voces, nisi Scepticismo Historico amplam aperire por-
tam imprudens constituas. Praeterea vero est aliquid, quo
hujus argumenti nervum incidere possis. Inter illa enim
exempla curruum bellicorum, numeris suis expressorum,
dantur, de quibus non immerito eam conjecturam facias,
plurium copiam illis, quibus tribuuntur, in promptu fuisse,
quamvis non omnium fiat mentio. Sic cum Exodi
XIV. 7. currus sexcenti Pharaoni tribuuntur, selectos
tantum & expeditiores intelligendos esse contextus diser-
tis verbis explicat, qui vocem בחרוּ non praeter rationem
addidisse existimandus est. Neque fieri certe potuit, ut in
tanta rerum festinatione omnis apparatus militaris educe-
retur, neque necessitas imponebatur ulla Pharaoni imbellis
majori curruum copia insequendi. Hinc, ut ceteros tace-
am, Aben Esra ita ad hunc locum commentatur: מובחרים
בטרכבותיו מכל רכב שהיו לו h. e. selecti erant ex omni-
bus curribus, quos ipse habebat. Taceo, ipsum textum se-
lectis illis Regis curribus reliquam curruum Aegypti copi-
am diserte jungere. Salomonem itidem pluribus curri-
bus, quam qui i. Reg. X. 26. numerantur, minitum fuisse,
non unus est, qui existimet, ac nominatim ex Judaeis R.
Levi in i. Reg. X. 26. eo argumento innexus, quod i. Reg.
IV. 26. quadraginta millia stabulorum equis Salomonis
curulibus destinata leguntur, quibus certe multo plures
equi capi poterant, quam quibus ad tam exiguum curru-
um numerum opus erat. Sed cum alia ratione huic du-
bio occurri poslit, nolim illi insistere, praecipue cum alia
causa redi possit, cur Salomon de pluribus curribus non
fuerit sollicitus, qui scilicet eos magis ad pompam quam

C 2

ad

ad bellica negotia, quibus liber divino beneficio erat, instruxerat. Quod ad Syros attinet, qui in clade, quam a Davide, rem strenue gerente, acceperant, septingentos, alibi autem septies mille, currus amisisse leguntur, eos multo maiorem curruum copiam, & quæ nostram Philistaeorum duobus millibus superet, habuisse ex I. Paralip. XX. 7. qui isti Samuelis loco respondet, luculenter appetet. Hoc cum intellegent ii, quibus Philistaeorum apparatus incredibilis videbatur, id sibi in Sacrum Codicem licere arbitrati sunt, ut de mendo manifesto conquererentur. Has rationes inierunt Grotius, Cappellus, Bochartus & Clericus, in primis ideo, quod alias hunc locum cum 2. Sam. X. conciliari non posse existimarent. Bochartus speciatim P.I. Lib. II. c. IX. Hieroz. currus illos in viros transformandos censet, ideo, quod 2. Sam. X. 6. nec equitum nec curruum fiat mentio sed tantum triginta duo milia millitum stipendio conductalegantur, si in summam conferas eos, quos Ammonitae, contra Israelitas expeditionem suscepturni, hinc inde conquisisse dicuntur. Sed meminisse debebat Bochartus, eodem in capite, commate octavo & decimo, conceptis verbis septingentos currus & quadragies mille equites, in praetilio casos, commemorari, atque adeo illud, quod huic sua interpretationi substernit fundamentum, aliqua ex parte subverti, cum curruum mentio, quam fieri negaverat, diserte sic injiciatur. Clericus nimis confidenter hic iterum Bochartum ducentem secutus est, dum ita ad eundem locum commentatur: *Apud Samuelem nulla curruum mentio sed tantum 32000. virorum, praeter eos, quos Rex Mahabae adduxit, qui mille viri erant. Cum is Rex hic quoque seorsim nominetur, cumque nulla sit proportio inter exercitum pedestrem & currus (nam in singulis curribus erant duo Viri & minimum duo equi, quo fiebat, ut semper multo pauciores essent currus, quam equites) non incredibile mihi videtur, pro roce נבְנָה esse repnendam*

nendam vocem ע. Omitto caetera, cum ista nostro quidem instituto non admodum inserviant, & ex illis jam patet, nullam nos habere rationem, cur de 32000. curribus, in Ephemeridibus sacris commemoratis, dubitemus, cum utroque in loco, in quo praelii mentio fit, curruum ratio habeatur, quamvis in altero quidem summa integra, in altero summa captorum, subducatur. Quomodo autem currus septingenti 2 Sam. X. cum 1. Paralip. XX. 18. conciliari debeant, nostrum hoc loco non est multis dispicere, cum interpres Scripturae variis hac opera egregie sint perfuncti, inter quos Waltherus nostras in Harmonia Biblica suam mihi sententiam, & rationibus & testimoniis aliorum probe munitam, approbavit. Ut igitur hactenus disputata in summam conferamus, id effecisse me spero, ut appareat, ingentem hunc curruum numerum non omni prorsus exemplo carere, atque adeo illis, qui in nostro loco קרי vel כתיב mutandum censem, idem in hoc, & forte pluribus aliis, tentandi necessitatem imponi, quod non consultum sed temerarium videtur.

XIII. Objicitur porro facilem admodum & obvium esse errorem, & cuius exempla varia in Sacro Codice existent: subinde enim in eo numeros varie & mendose exprimi, & literas alphabeticas, quibus pro notis arithmeticis Hebraei utantur, fraudi scribentibus esse solere. Evidem non negaverim, non leves difficultates illis objici, qui temporum & numerorum rationes, quae interdum in Samuelis, Regum & Chronicorum libris diversae & adversis capitibus pugnantes videntur, ad calculum revocant; spem tamen omnem conciliationis unquam instituenda abjecere velle non nisi in eos cadere mihi posse videtur, qui praestructae de vitiis Codicum opinioni vel nimis indulgeant & sibi ipsis blandiantur, vel nodos, quorum difficilior est solutione, scindere quam solvere malint. Aliam ingressisunt

C 3

viam,

viam, applaudentibus multis, Buxtorffius contra Cappellum, ex nostratis autem Pfeifferus, Waltherus, & Calovius, ut in numeros eosque cordatores Scripturae Interpretes taceam. Placent verba Jo. Buxtorffii, egregii literarum Sacrarum Vindicis, quae Jac. Cappello, illas numerorum discrepantias incredibili animi confidentia in fraudem sacri Codicis expromenti, in Vindiciis Veritatis Hebraicae opposita legop. 401. *Cum quamplurima ex illis locis, in speciem contrariis, commoda adhibita distinctione possint conciliari, quid necesse errorem in libris fingere, tanta harmonia inter se conspirantibus & consentientibus. Quin simaxime id non semper praestare queamus, ne tum quidem ad violentum hoc medium recurrendum.* Satis est, ignorantiam hanc nostram agnoscere, & utrumque rectum esse pie credere. Historiae enim illae non sunt ita accurate secundum omnes circumstantias conscriptae, sed breves tantum epitomae. In uno loco hic, in alio aliis potest esse respectus, & alia consideratio, quorum ratio Scriptoribus ipsis fuit cognita, quamvis nos lateat. Cum itaque argumentum hoc contra Codicis sacri integritatem, in numeris adstruendam, nihil efficiat; idem neque nostri loci integritatem dubiam reddit. Neque magis timendum erit ab altero illo momento, quod literae Hebraeorum, ad numerorum rationes exprimendas adhibitae, sibi interdum adeo similes sint, ut una pro altera accipi facile & sic errandi occasio suppeditari possit. Argumentum hoc centies prolatum, nunquam autem idoneis exemplis probatum, memini, cum Hebraicarum literarum ductus, si paucos excipias, formae similitudine non tam prope ad se invicem accedant, quin facile opera illas discernere possis. Deinde vero habent, quod probent, qui invicte & egregie sibi, quod volunt, probasse videntur. Quo enim, quaeso, arguento constat, Hebraeos, vel ante Servatorem natum, vel aliquot post reparatam salutem saeculis, per literas numerandi rationem adhibuisse,

hibuisse, neque potius numeros integris vocibus, quas lingua illis proprias fecerat, designasse? Certe Jo. Mercerus, Vir his literis apprime innutritus, ad Genef. V. 5. animum de hoc negotio dubium professus est his verbis: *Ex contextu Hebraeo non potuit error oriri, in quo non puto notas numerorum, ut literis hodie utuntur (quod recens puto inventum) olim fuisse.* Nec defuit ex recentioribus Criticis, qui, quamvis non mitius ceteris de Codicis S. integritate judicaret, certioribus praesidiis, opus esse censeret. Haec enim est Richardi Simonis in Historia Critica V. T. lib. II. c. IV. p. 24. sententia, qui vel recentem vel non admodum antiquum hunc literarum usum apud Hebraeos esse arbitratur, atque adeo crebriores illas quas fingit, in numeris librariorum hallucinationes, vocum, quibus numeri designantur, similitudini & repetitioni acceptas refert. Sed ille quidem nimis oscitantes sibi fingit Judaeorum librarios, qui adeo leviter tam arduum negotium tractarint, ut voces maxime distinctas v. c. quaestu metiebantur, cum Judaeorum exscriptores nobiliori quodam argumento, sacro scilicet & venerationis ple- no, ad omnem curam in describendis Sacri Codicis tabulis excitari solerent. His enim, qui operam suam ad hanc rem commodabant, pro singulari religione, qua Judaei ipsi in Sacrum Codicem ferebantur, leges tam curiose, & tanto numero positae erant, ut a superstitione sibi parum cavissem, viderentur. Lege, si placet, Leonem Mutinensem de ritibus Judaeorum recentiorum Parte I. c. X. Jo. Christoph. Wagenseilium in Sota c. I. p. 21. & p. 367. Josephum Voisiniūm in notis ad proœmium Pugionis Fidei a Raym. Martini ed. itemque Vorstium ad Maimonidis Fundamenta Le-

gis

gis p. 81. seq. imo ipsum etiam Richardum Simonem, qui suo se jugulasse gladio existimandus est, dum ad librarium hallucinationes frequenter provocat, & nihilominus tamen ~~amplissimam~~ eorum in describendis Codicibus celebrat lib. I. Historiae Criticae cap. XXI. pag. 108. seq. & 117. Menochius eodem in loco, quo argumentum modo confutatum urget, timet sibi a bruto Ecclesiae Pontificiae fulmine, quod illis imminet, qui auctoritate Vulgatae interpretationis, a Concilio Tridentino in summam dignitatem erectae, supine neglecta, quicquam mutare audent. Ideo tuetur se Serarii & Bonfrerii exemplis, qui non paulo rectius alios sacrorum suorum asseclas, eosque nec doctrina nec candore inferiores, sequendo, de divina magis quam humana auctoritate confirmanda laborare debuisset. Non enim defuerunt, nec hodie desunt inter Pontificios, quibus ea animo haeret persuasio, ut Hebraici Codicislectionem nunquam cum altera permutandam existiment, cum ex adverso Nic. Serarius partim aliunde partim ex Judaeorum malitia non unum vitium illatum fuisse in Prolegomenis suis biblicis c. XII. qu. II. affirmet. Non paucos, qui ex eortundem sacrorum sociis huic opponi posfunt, Humfredus Hody in libro elegantissimo, quem, de textibus Originalibus inscriptum, Oxon. 1705. fol. edidit, diligenter commemoravit. Deinde vero, si Serarium testem & judicem in hac re minus idoneum dixero, nemo mirabitur, qui meminerit, non unum ejus in Philologia & Antiquitate Hebraica errorem a Scaligero & Drusio monstratum esse in illis, quibus ^{1.} Judaeorum Haereses illustrarunt, Commentationibus.

XIV. Inprimis autem hujus emendationis, quam videntant, auctores & patroni praefidum in eo collocaisse videntur, quod ipsa curruum bellicorum ratio ita comparata fuerit, ut, si illa debeat esse salva, tam amplius numerus nullus

nullo modo admittit possit. Ante itaque, quam hac excutiamus, necesse est, ut, quoad licuerit, ex antiquitate profana haec belli instrumenta plenius cognoscamus, cum Codex Sacer momentum illud, tanquam ab Israelitarum institutis & moribus alienum, & sub Regibus deum ex parte introductum, vel obiter tetigerit, vel prorsus neglexerit. Inter praecipua igitur belli instrumenta currus olim ab Orientis gentibus humoratos esse, non solum ex Sacro Codice appetat, sed etiam ex illustri quodam Xenophontis loco manifestum est, qui legitur lib. VI. Cyropaediae p. 152. Τὴν μὲν (de Cyro loquitur) τεωκήν διφείσαν πρόσθετον, καὶ τὴν Κυρηναῖον ἔτι νῦν σταύρωσιν πατέλυσε. τὸν γάρ πρότερον χρόνον καὶ οὐ ἐν τῇ Μηδίᾳ καὶ Συρίᾳ καὶ Αραβίᾳ καὶ πάντες ἐν τῇ Ασίᾳ, τοῖς ἀγμασιν ὅπλοις ἐχρώντο οἷς νῦν οἱ Κυρηναῖοι. i. e. Trojanam rationem curruum, quae antea erat, & agitatem Cyrenaeorum, quae etiamnum hodie obtinet, sustulit. Antea enim & Medi & Syri & Arabes, & omnes Asiatici utebantur curribus, quemadmodum nunc Cyrenaei. Non dubito, quin Arrianus ad hunc Xenophontis locum respexerit, dum haec verba in Tacticis p. 31. affert, quae brevitatis causa latino tantum termone exprimam: Ex Asiaticis quoniam Persae in usum habuerunt, currus falcatos, equosque cataphractarios, Cyro ejus rei auctore. Quanquam & ante id tempus Graeci, qui fuerunt cum Agamennone, & Trojani, qui fuerunt cum Priamo, non cataphractariis, & Cyrenaei vehiculis ut plurimum sunt usi ad bellum. Ex his conficitur, ex veterum Scriptorum sententia currus Graecorum, Trojani belli tempore receptos, certarum, quae ad Orientem pertinebant, gentium curribus, atque adeo rationi ex illis pugnandi respondisse. Propterea confilio forte non contemnendo illi, qui eam antiquitatis bellicae partem explicandam sibi sumserunt, Homerum plerumque Interpretem elegerunt. Quod quidem institutum magis se commendaturum erat, si Homerus ipse,

D

quod

quod plerisque placet, non tantum ad aetatem Salomonis proxime accesserit, sed ipse etiam Salomon sub Homeri larva lateat, quod nuper Vir in Anglia eruditus, serione an per ludum, non dixerim, affirmavit; vel si, quod Gerhardus Croesus in Homero suo Hebraeo affirmare sustinuit, rerum ab Israelitis usque ad primos Reges gestarum historia in scriptis Homericis edifferatur. At enim vero cum prima sententia minus certa aut ad liquidum deducta sit, posteriores vero duae nulla se veri specie, ne quid gravius dicam, commendent, non alio argumento ex Homericorum curruum conditione gentium Orientalium apparatum similem metiemur, quam, quod veri videatur simile, Graecos ut multa alia, ita hanc quoque bellum gerendi rationem mutuam ex Oriente sumfisse. Quicquid hujus erit, meliorem certe in re obscurissima Ducem vix invenerimus, cuius adeo vestigiis inhaerere non inconsultum fuerit.

XV. Hic Poëtarum princeps passim curruum ita meminit, ut haud obscure intelligas, duos fuisse in quolibet curru, quorum officia ita fuerint divisa, ut alter quidem habenas flecteret, & equorum ageret curam, alter hostibus imminaret armis & praeliareetur. Hinc currus ejusmodi δίφων nomine veniebant, quae vox quamvis de sellis, quibus convivae insidebant, ab Homero passim usurpari soleat, ceu ostendit Illustris Spanhemius ad Callimachum in Dianam v. 135. propria tamen bellicis ejusmodi ideo videtur, quod quasi δίφορος h. e. *duos ferens* diceretur. Idem, quem modo laudavi, Spanhemius ad Aristophanis Nubes v. 30. observat, vocem hanc non tantum de sellis gestatoriis, sed potissimum de curribus, iisque cum bigis tum quadrigis, usurpari. Quemadmodum itaque vel sola nominis ratio binarium vectorum innuit; ita eundem exempla, quae in Homero magna copia extant, confirmant. Sic Iliad. E. v. 608.

Ev. 9.

Ενθ' Ευτῷ δύο Φάτε κατέκτανεν εἰδότε χάρμης,
Εἴναι εἴσι δίφρων εόντε, Μενέθην Αγχίαλον τε.

h. e. Postea Hector duos Viros occidit, belli peritisimos,
Qui in eodem curru erant, Menestheum & Anchialum.

Omitto cetera exempla, quæ partim Feithius in Antiquitatibus Homericis partim Menochius lib. VI. de Republ. Hebr. p. 573. attulit. Posterior id quoque monet, ex Iliad. ψ. alterum eorum ἡνίοχον i. e. aurigam, alterum παραβάτην seu παραβάτην dici: quod quidem bene habet, si de communiori loquendiratione hoc accipi velit; secus autem, si hanc significationem semper obtinere existimet. Contrarium enim Eustathii, Interpretis egregii, auctoritate evinci potest, qui ad Iliad. E. v. 365. p. 423. edit. Basiliens. ita commentatur καὶ ὁ παραβάτης εἴναι ἡνίοχος ἐπιστέτας λεγόμενος, ὡς ὅτε τὸν Εκτόρα θεάσαντας ἡνίοχον ὁ ποιητής ἔρει. Ευρταῖς δέ που καὶ ὁ ἡνίοχος παραβάτης. Καὶ νῦν δὲ τοιχτόν τι ἐμφάνει ὁ ποιητής εἰν τῷ. παρ' δέ οἱ λέγει εἴβανεν καὶ ἡνία ἥλλαθε χερσίν. ή γὰρ ἀντὴ καὶ παραβάτης διὰ τὸ παραβάνειν, καὶ ἡνίοχος, διὰ τὸ ἡνία λαβεῖν. καὶ ὅλως ἐπαλλάσσεται αἱ λέξεις ἀνταὶ αἰδίλλας φαίνονται. Conferatur idem ad Iliad. P. p. 1259. Quot vehebantur, totidem plerumque equi jungenbantur currui, iidemque dicebantur ζύγιοι sive jugales, hoc est ut Scholiares Austophanis explicat οἱ ὑποβαλλόμενοι τῷ τῷ ἄρματος ζυγῷ. Adde Cl. Küsterum ad Suidam Tom. II. p. 16. & Illustrum Spanhemium ad Aristophanis Nubes v. 122. His interdum jungebatur tertius, quem nunc παρήρον dicebant, ut Homerus passim, ad cuius Iliad. ψ. pag. 1439. vide Eustathium, nunc σειραφόρον, σειρασφόρον, σειρασιρον, quod utrinque ad exteriorem partem loris viaciri soleret. Rem accurate exponit Spanhemius loco commemorato. Ac de his quidem dubitare non licet, sed id certe nondum expeditum satis est, quod Menochius eodem loco perswasum sibi habet, quartum scilicet interdum additum fuisse, idque Hectoris exempli Iliad. Θ.

v. 186. commemorato constare, qui quatuor equos distinctis his nominibus alloquitur: οὐδεὶς τε καὶ σὺ πόδαργε καὶ ἄλλων, Δάμπτε τε διε. Veteres enim Grammatici non parum de germana hujus versus interpretatione disputatione, quorum alii eum, cum ceteris proxime sequentibus, interspurious numerarunt, alii non diversa quidem equorum nomina quatuor, sed duo tantum, epithetis, quae vocant, instructa, censuerunt, alii aliam interpretandi rationem commenti sunt. Idoneum habemus testem Eustathium p. 590. qui causam hujus dissensionis eam offert Δέ γε τοις δὲ καὶ δόθε τε θρίππες χρῆσιν εἶναι ποτε τοῖς ἥρωσιν αἰλαὶ ξυνωρίσι χρᾶσθαι πάντας, καὶ που καὶ παρηρόων ενὶ, ὡς ἐθάνη επὶ Νέσοεθ. Evidemt in stituti nostri ratio non permittit, ut accurate hoc antiquitatis momentum exutiamus: non uno tamen argumento nobis constat, quatuor diversos equos hic allocutum fuisse Hectorem, sive illi uni, quod non dixerim, sive binis curribus, Hectoris usui propriis, fuerint juncti. Neque vero omnem quadrigarum, quae tamen militiae non inserviisse videntur, usum Homero ignotum fuisse quisquam affirmaverit, cum ipse in Odyssea τετράρχες faciat mentionem. Confer Eustathium loco laudato. Atque haec quidem de equis. De curribus id manifestum est, quod binis plerumque rotis instructi fuerint, interdum etiam quatuor, tum scilicet, ubi non tam ad usum bellicum quam sarcinas deferendas, aut onera quaecunque portanda, adhiberentur. Sic Homerus Iliad. v. 324. currum, quo Hectoris cadaver vehebatur, τετράκυλον ἀπίννη h. e. *quatuor rotarum currum* appellat, sicut Libanius in Vita sua p. 13. ὅχνα δικυλον *currum duarum rotarum* dixit. Idem currus Homeri tempore ita instructi erant, ut falcibus non essent muniti, quas recentiores addiderunt. Tales nec Britanni olim agnoscebant, quod ex Jul. Caesaris lib. IV. c. XXXIII. de Bello Gallico intelligas. De his Britannorum effedis, quae Gallis

Gallis

Gallis itidem ac Belgis recepta fuerunt, inspice ex veteribus Florum III. 2, & Melam III. 6. ex recentioribus Janum Bruckhusium, felicissimum Poëtarum Interpretem, ad Propertii II. 1. v. 86. & IV. 10. p. 411. Graecis autem, & aliis gentibus, recentioris aetatis, maximum belli praesidium in falcatis curribus, quos δρεπανηφόροι appellant Arrianus de gestis Alex. M. Lib. II. Diod. Sicul. lib. 17. & Suid. v. δρεπανηφόρα, repositum fuisse, adeo pervulgatum & tratalitium est, ut operam perderem, quam in iis probandis aut diligenter describendis collocarem. Inspice, si placet, Livium XXXVII. 41. Diodorum Siculum lib. XVII. ac Curtium lib. IV. 9. cuius tamen Interpres eruditissimus, Matth. Raderus, Godefr. Stevvechius item & post utrumque Jo. Schefferus lib. II. c. 15. de Re Vehiculari in delineandis illis curribus minus feliciter versati sunt, non tam ingenii quam ipsius Curtii culpa, si Jo. Clericum in Arte Critica Parte III. Sect. III. c. IV. audiamus, qui non unum Historici errorum hic animadvertisit. Neque ex omni parte eruditorum exspectationem sustinent, quae Vir cetera eruditissimus, & antiquitatis studiis excultus, Jac. Perizonius ad tuncendam Curtii causam attulit in Curtio Vindicato pag. 163. sqq. quod vel ex Parisiensium eruditorum Ephemeridibus An. Cl. 16CIX. p. 55. intelligas. De aliis gentibus, quae vel falcatis vel non falcatis curribus usae leguntur, expavit amplius Alexander ab Alexandro in diebus Genialibus VI. 22. & Jo. Nicolai in commentatione de Calcaribus veterum.

XVII. Ex his quidem aliqua conjectura aequi possumus, quae illorum curriuum, quorum in Sacro Codice factam videmus mentionem, ratio ac conditio fuerit, quamvis certo argumento non constet, an gentes omnes in eandem omnino formam confenserint. Neque Sacer Codex argumenta nobis suppeditat, ex quibus rei obscurissimae

D 3

lucem

lucem aliquam affundere possumus, Hebraci antem Interpretates vel prorsus haec silentio praetereunt, ut Maimonides, qui de re Hebraeorum militari aliqua tradidit, vel obiter tangunt, vel ea afferunt, quae inter commenta, ingenio ipsorum respondentia, forte rectius, quam inter commen-tationes, Scriptoribus sacris dignas, numerentur. Neque mirum cuiquam videri debet, quod divini Scriptores ipsi pauca admodum de curribus his commemorarint: causam enim instituti hujus non temere requiret, cui exploratum sit ipsos Hebraeos gravi, ac repetito pasim, manda-to divini Numinis prohibitos fuisse, quo minus curribus his militaribus ad ceterarum gentium exemplum praelia sua munirent. Quae itaque ex sacris Pandectis hauriri de hoc argumento possunt, ad haec fere capita rede-unt, quod gentes, Israëlis vicinae, spes suas in illis ma-xime collocarint, quod hostibus maximum timorem incusserint, ac denique singuli duos vixerint, quod paulo post diligentius ostendemus. De numero equorum, curribus junctorum, nihil quicquam in illis diserte relatum legimus, quemadmodum nec id con-stat, falcibusne armati fuerint an minus. Evidem si Xenophontis auctoritate stare velimus, quatuor forte equos singulis curribus tribuemus. Hic enim eo in loco, quem ex lib. VI. supra ad partes vocavimus, Cyrenaicam currum rationem, eandemque Asiaticis gentibus in universum omnibus receptam, ac a Cyro postea iminutatam, ita de-scribit: ἄρματα τριαντά τὰς μαχομένας παρέχεται τριαντάς, ἵπ-ποις δὲ τοι χρῶνται διακοσίοις καὶ χιλίοις. ηνίοχοι δὲ αὐτοῖς εἰσι μὲν, ὡς ἐπός, οἵ μαλιστα πισένυσσοι οἱ βέλτιστοι, ἄλλοι δὲ εἰς τριαντάς. Sed quis sponsor fuerit, Xenophontis verba ad antiquissimam illam aetatem, qua illae, de quibus nunc nobis sermo est, gentes vixerunt, referendam esse, a qua ipse non exiguo intervallo fuit sejunctus? Falcatos currus deprehen-disse

disse sibi nonnulli visi sunt in variis Scripturae locis, v. c.
Judic. I. 19. IV. 3. & 13. & Iosuae XVII. 16. Ad postremum
Andreas Masius, egregius cetera Scripturae Interpres, ita
commentatur: *Currus ferreos ego falcatus currus esse canfeo,*
quos Xenophon aliquie δρεπανηφόρα ἀκματα appellant, οἱ δρεπανη-
φόρα τεθριππα b. e. ut Livius dixit, falcatas quadrigas. Ta-
ceo alios, ac potissimum Jac. Bonfrerium & Franc. Vatablum,
qui ad hunc locum eandem sententiam tuentur, inter ce-
teria ad Vulgati Interpretis exemplum provocantes, qui in
tribus prioribus locis *currus illos ferreos*, quos contextus
Hebraeus commemorat, *falcatos* appellat. Enim vero
cum רְכֵב בָּרוּל quas voces Hebraeus exhibit, non di-
fserit aut necessario falces innuat; Vulgatus autem Inter-
pres in versione sibi non constet, qui alibi, nempe Iosuae
XVII. 16 contextui authenticō convenientius *currus fer-*
reos dixit, Xenophon etiam curruum falcatorum inventum
conceptis verbis ad Cyrus, aetate longe inferiorem, re-
ferat; ac denique usus hujus modi curruum, falcibus pro-
minentibus instructorum, in vallibus, quas Cananaei habi-
tarunt, minus expeditus sit, quorum quippe cursus vir-
gultis, frequenter objectis, impediri poterat; non alienum
me a Jo. Clerici sententia profiteor, qui cum aliis currus
potius ferro tectos & munitos, ne securibus secari pos-
sent, apud Iosuam intelligendos esse censet.

XVIII. His expeditis facilius intelligemus, quid ro-
boris habeant argumenta eorum, qui vel ex ipsa curruum
conditione numerum nimis magnum & incredibilem esse
conficiunt. Sic Saliano in Annibus suis Tom. III. p. 74.
ubi hujus loci meminit, hic numerus vix creditibilis vide-
tur, quod singulis curribus quatuor equi assignandi sint.
Hic primo loco notandum est, Salianum nimis liberali-
ter agere, dum quatuor omnino equos singulis curribus
jungit, quos binos tantum fuisse ex Homericis exemplis
magis

magis vero videtur simile. Propterea alii, qui hic cum Saliano ceteroquin consentiunt, ut Cappellus non nisi duos equos ad currus singulos adhibitos esse censuerunt. Quorum quidem sententia ex 2. Reg. VII. 13 & 14. adstrui posse videtur. Cum enim Israelitae, in urbe Samaria, a Syrorum copiis obsessi ad eam equorum paucitatem redacti essent, ut quinque tantum numerarentur inter suos, hi explorandi causa in Syrorum castra cum duobus curribus missi dicuntur, quorum utrique binos non praeter rem tribuas. Jac. Lydius in Syntagm. de re militari, p. 137. Davidem Ps. LXVIII. 18. voce יָנֵשׁ ad milites, qui bini currum adscenderint, allusisse putat, sed hoc argumentum longius mihi petitum esse videtur. Quod praeterea vix totum Orientem tote quis alendis ac suppeditandis parem & idoneum Salianus censuit, in eo nimis abjecte de gentium Orientalium copiis judicavit. Certe ipse Sacer Codex, ut aliter statuamus, efficit, qui solis Aegyptiis eam passim equorum copiam tribuit, ut eam solam facile istum equorum numerum suppeditare potuisse credamus, qui tot curribus sufficerit. Josephus auctor est lib. II. 6. Antiquitatum, illum Pharaonis exercitum, quo Israelitas ex Aegypto migrantes, infecutus fit, πεντακισυπλούς h. e. quinquages mille equites numerasse. Sic Sesacus, Aegypti Rex, Hierosolymam sexaginta equitum millibus oppugnasse legitur 2. Paralip. XII. 3. Adde Sam. Bocharti Hierozoicon Parte I. lib. II. c. 9. pag. 168. qui majori equorum copia Aegyptum olim abundasse ex Arabum quorundam scriptis, quorum tamen fides suspecta est, & Homero Iliad. I. v. 383. evincit. Hic enim ex Thebis solis vigesies mille viros, vel ex equis vel ex curribus pugnantes, produisse testatur. Quae causa est, cur inter ceteras Orientis gentes, quae equestrem magis quam pedestrem militiam exercuerunt. Aegyptii quoque celebrari soleant. Vide Illustris Spanhemij

hemii exquisitas notas ad Orationem Juliani primam. Largiamur itaque ultro, Philistaeorum tantas non fuisse facultates, aut tantam soli vel foecunditatem vel amplitudinem, ut eam equorum vim vel alere, vel in aciem educere, potuerint; nihil tamen obstabit, quo minus a vicinis gentibus ipsorum inopiam sublevatam dicamus. Exstant enim in Sacro Codice exempla, ex quibus hunc morem gentilibus, Israëlitas bello potentibus, receptum fuisse intelligimus, ut, suis viribus dissidentes, externam opem implorarent. Certe Hadadefer, Rex Zobæorum, insigni clade a Davide accepta, a spe res suas restituendi parum aberat, cum Syri Damasceni, ingenti militum manu collecta, auxilium ipsi ferre instituerent, quod relatum legimus. I. Chronicorum XIX. Ejusdem libri caput proxime sequens non minus illustre hujus rei exemplum exhibit. Ammonitae enim, justam Davidis iram temere provocantes, ac deinde in timorem conjecti, magno argenti pondere ingentem curruum militarium ac militum copiam ex Mesopotamia, Maecha & Zoba conduci, atque ipsos adeo Reges earundem regionum advocari, curabant. Proinde nihil, quod a moribus illarum gentium alienum sit, fecisse hic Philistaei censendi sunt, si, conductis copiis, non parvam Israëlitarum gentem obterere & conculcare voluisse dicantur. Cum enim illa jam pridem omnium vicinoru[m] admirationem & oculos, tropaeis saepe cum laude reportatis, in se convertisset, inter ceteras gentes solenni quasi foedere instituto, convenisse videtur, ut mutuum sibi invicem auxilium praestarent, quoties alteram earum infestis Judaicae gentis copiis oppugnari contingeret.

XIX. Idem argumentum, ab exiguis Philistaeorum agris & ora nimis angusta defumtum, cum Clericus urfissem, responsionem, quam dedimus, oceupaturus, currus aut milites mercenarios fuisse ideo negat, quod res peri-

E

culi

culi plena, atque adeo prudentiae adversa, fuerit, tantam
militis externi copiam in viscera regionis admittere, quae
ipsos deinde Philistaeos potestati suae subjicere potue-
rit. Evidem facile hoc dabo, Philistaeos non admodum
rebus suis consuluisse, neque tamen inde efficietur, ut hoc
eos propterea non fecisse conseamus. Sic enim nec Am-
monitae, sic nec Syri, idem consilium, unquam iniisse
credi debebant, a quo eadem de causa animum avocare
potuissent. Omitto aliarum gentium exempla, ex re-
centiori memoria, quae externo militi libertatem
vendidisse leguntur, cui, magno aere conducto,
eandem vindicandam crediderant. Sufficit itaque, exem-
pla non deesse, ex quibus pateat, ejusmodi consilia sae-
pius ac vario eventu suscepta esse, neque nobis certi li-
cebit, ex eventu, quem dubium & incertum fuisse nos
quidem perspicimus, de alterius consilio vel inito, vel re-
jecto, iudicium ferre, in primis cum non constet, an illi,
de quorum consiliis judicamus, exitum infelicem animo
praeceperint, aut pro rerum suarum conditione praeci-
pere potuerint. Philistaeos sane nullam habuisse causam
putem, cur vererentur, ne copiae peregrinae arma sua
in se converterent, quippe quas ipsa regionis angustia vel
invitas expellere iterum poterat, ut taceam, tantam ter-
rae Philistaeorum vel foecunditatem vel elegantiam forte
non fuisse, qua gentes aliae, quaecunque fuerint, adduci po-
tuerint, ut de sedibus suis cum illa permutandis cogita-
rent. Denique nihil interesse forte putarunt, vel puta-
re saltem poterant Philistaei, sive Israelitarum depraeda-
tionibus & victricibus armis paterent, sive vicinarum
gentium, cum quibus sacrorum communio ipsis interce-
debat, arbitrio se permitterent.

XX. Idem instat, Philistaeis tantam argenti sum-
mam in promtu non fuisse, qua tam numerosum exerci-
tum

tum comparare sibi potuerint, praeterea autem de com-
meatu prospiciendum fuisse, qui tanto exercitui, saltem
per aliquot hebdomades alendo, sufficerit. Ego vero
existimaverim, Philistaeos non omnem illam manum ab
exteris petuisse, sed magnam partem de suis coegisse, prae-
cipue cum non ignoremus, gentem fuisse bellicosissimam,
ac jampridem belli usu confirmatam. Deinde nec ne-
cessere est, ut dicamus, stipendio adeo amplio externi mi-
litis copias conductas fuisse, quae vel ex foederis com-
munis lege, quam non vana conjectura assuequi mihi vi-
deor, vel opimae praedae spe excitari ex finibus suis &
allici poterant, ut cum Philistaeis societatem inirent. Ipsa
enim historiae Sacrae series ostendit, Philistacos id apud a-
nimum constitutum habuisse, ut Israëlitarum agros & regio-
nem depopularentur penitus, &, diviso in aequales partes
exercitu, irruptionem facerent, atq; adeo facultates omnes
devorarent. Imo Philistaei ipsi procul dubio amplissimam
praedam spe praecipiebant, ex qua sumtus omnes, si quos
forte fortunis suis majores impendere expeditioni debe-
rent, repetituros se existimabant. Quod ad commeatum &
cibaria attinet, non dubito, quin Orientis gentibus idem
mos receptus fuerit, quem apud Graecos & Romanos
viguisse ex utriusque gentis Scriptoribus novimus, qui
testantur, milites praeter arma & vallum cibaria, vel per
integrum mensem sufficiatura, secum ferre. Idoneum ha-
bemus hujus rei Auctorem Ciceronem, quilib. II. Tuscu-
lan. Quae est. c. XV. p. 130. edit. nuperimae Cantabrigien-
sis ita differit: *Militiam vero -- nostri exercitus primum unde no-
men habeant, vides: deinde, qui labor & quantus agminis, fer-
re plus dimidiati mensis cibaria: ferre, si quid ad usum velint:
ferre vallum? nam scutum, gladium, galeam in onere nostri mili-
ties non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus.* Livius,
de cuius fide non est cur dubitemus, in antiquiori militia
integri mensis cibaria a militibus portari debuisse lib.

XLIV. tradit. De Graecis idem Scriptores referunt, ex quibus Athenienses liberalius habebantur, quos, in bellum profecturos, trium tantum dierum cibariis onustos fuisse eruditus Aristophanis Scholiaста ad Equites v. 1077. observat, quam in rem exquisitae Cl. Kusteri notae conferri possunt. Nihil itaque prohibet, quo minus magnam ciborum partem copias illas externas secum tulisse dicamus, nisi magis videatur probabile, aliquam curruum partem huic negotio destinatam fuisse, quod in primis de equorum pabulis dicendum putem. Denique non in aliquot hebdomadas, sed eos tantum dies, qui itineri faciendo destinari debebant, de cibariis providere eos oportebat, qui non dubitabant, in ipsa Israelitarum regione se inventuros, unde & se & jumenta sua alere possent.

XXI. Denique id quoque a Grotio, & Clerico afferatur, quod nunquam tantus curruum armatorum numerus, quantus equitum, esse soleat. Jam negari quidem non potest, in ceteris Scripturae locis, ubi currus & equites commemorantur, eam numeri proportionem observari, ut equites curruum numerum superent; sed id tamen fraudi nostro loco esse non potest, cum alibi, si locum i. Chron. XX. excipias, de tanto curruum apparatu nihil quicquam legatur. Quod autem Menochius & Capellus מִשְׁמָר quorum hic fit mentio ita interpretantur, ut non alii sint, quam qui currus illos, militum instar occuparint, id vereor, ut idoneis argumentis commonstrarre possint. Menochius, hanc interpretationem confirmatus, per svadere Lectori conatur, non aliis tum temporis equitatus, quam curulis, usum fuisse, atque adeo numerum ter mille curruum & sex mille equitum probe sibi constare, cum bini ad unum currum bellicum instruendum requirantur. Mihi sane non est dubium, veteres Hebraeos, & ceteras Orientis gentes, non minus equos, quam

quam asinos, ad equitandi usum, qui hodie receptus est, adhibuisse. Nec obscurum id esse potest ex 2. Regum IX. ubi equitatus & proprie sic dicti & curulis vestigia mihi deprehendisse videor. Cum enim Joramus & Ahasias, de adventante Jehu certiores redditи, explorandi causa mitterent equitem, dicitur hic simpliciter, *equo insidens abiisse נילודרכם הפטו* deinde autem in commatibus proxime sequentibus, in quibus Joramus & Ahasia eidem ob viam ivisse dicuntur, iis phrasibus res exprimitur, qui cum rulem equitatum diserte exprimit. Equis enim mandato regio curribus junctis, uterque Regum ad Jehu delatus dicitur. Ex his itaque consequitur, sex mille equites, qui hic curribus subjunguntur, ab ipsis militibus, qui ex curribus pugnabant, non praeter rationem distingui, neque adeo verendum esse, ne minor sit equitum copia, quam quae tantum curruum numerum exaequare possit. Praeterea eam quam Cappellus urget, proportionem equitum duplam, si ad currus referatur, alia Scripturae loca eyertunt. Relatum enim legimus 2. Paralip. XII. 3. Sesacum, mille & ducentis curribus & sexagies mille equitibus instructum, Rehabeamo bellum intulisse, ubi certe equites curruum numerum longissime post se relinquunt.

XXII. Deducimur nunc ad novissimam, quam ultimo loco supra exposuimus, Viri docti sententiam, quae ita de hoc loco statuit, ut minor quidem, sed tamen aliqua, textui mutatio inferatur. Quamvis enim ipse omnem mutationis suspicionem vel maxime a se velit alienam, dum textum corruptum esse disertis verbis inficiatur; nemmo tamen non intelligit, assertionem istam ex ratis Viri sententiis, partim in Grammaticis commentationibus, partim alibi propositis, interpretandam esse. De Codice enim Hebraico, quo hodie utimur, ita pronunciat, ut ab iisdem auctoribus, qui Scripturae Sacrae exhibuerunt literas,

E 3

etiam

etiam vocalium bodie extantum figuris additas fuisse inficietur, sed eas potius partim ab Esdra & forte ejus Collegis, partim ab aliis repetat, qui in idem negotium per subsecuta saecula ita incubuerint, ut pluribus plura, & suis literis subinde non respondentia, puncta adscriberent. Enimvero cum ista haec tenus quidem a Viro celeberrimo sine ullis rerum argumentis pronunciata sint, quae expositurum se aliquando in singulari tractatu, de *Masorathrono mota*, jam pridem recepit, nobis quidem vitio non vertetur, si in recepta, nec temere deserenda, nostratum Philologorum sententia acquiescamus, donec, per rationes idoneas de statu dejecti, in contrarias partes abduci nos patiamur. Hoc autem ne fiat, vix subverendum putamus, cum nullum nobis dubium sit, omnibus certe difficultatibus, quas Masoretica textus Hebraici lectio interdum legentibus objicit, alia ratione obviat ire nos posse, quam ut de erroribus, ex supinarerum ignoratione, vel negligentia non toleranda, profectis, conqueramur. Non exiguum lucem huic argumento polliceri possumus ex commentatione Critica, qua Vir summe venerandus, idemque egregius in rem Hebraeorum sacram & literariam meritis inclytus, Henricus Opitius *Masoram auctam, emendatam & a contradictionibus liberatam* fistere apud animum jam ab aliquot annis constituit, quem laborem nunc quidem a Filio, virtutum paternarum aemulo, in praefatione ad Biblia Hebraica, nuper in lucem emissâ, exspectare jubemur. Acquiescamus igitur merito in ea sententia, quae & rationis praesidiis certis, & non unius Viri auctoritate se tuetur, & divinam vocalibus Hebraeorum auctoritatem asserimus, atque ea salva, istum quoque contextum Hebraicum mutare censemus, qui, Codicum idoneorum exemplo praeeunte destitutus, ex ingenio & pro arbitrio ea refingit, quae difficultate aliqua premi yidentur. Argumen-

gumenta, quae, ita ut statuamus, nos adducunt, malumus apud alios veritatis Hebraicae vindices & assertores legi, quam hic eadem labore, taedii pleno, repetere, praeципue, cum id institutum nobis sit, ut, postquam summam ostendimus, eam libertatem, quam sibi Vir doctus summis, nulli Interpreti esse relictam, nunc speciatim comonstremus, eam, quam idem attulisse sibi videtur, emendationem locum hic tueri minime posse. Quo ipso ut ingenii perspicacis laudem Inventori non detrahimus; ita pondus & momenta pace ejus desideramus, quae, si ab illis, quorum supra mentio facta est, repeatat, non difficulter intelliget, non uno modo vim & robur illorum argumentorum infringi posse.

XXIII. Praecipuum causae, quam nunc agimus, momentum in eo situm est, ut disquiramus, utrum hic vox שְׁלֵשִׁים cum altera שְׁלֵשָׁה commode permutari possit. Ut de hoc dubitemus, vel id efficiet, quod omne illius permutationis praesidium ab ingenio pendere videamus, a cuius generis conjecturis cavendum esse illi jampridem monuerunt, qui sanioris Criticæ, vel in sacris vel in profanis Scriptoribus exercenda, praecepta tradiderunt. Hi enim sapienter & vere de toto hoc negotio ita statuerunt, nunquam suboriri posse ullam de genuina textus lectione dubitationem, quae non ex collatis inter se diversis Codicibus tolli possit, cum non dubitandum sit, veram & germanam Scriptoris sacri cuiuscunque lectionem nec injuria temporum, nec oscitantia librariorum, nec Judaeorum, si qua statuenda sit, pravitate, nec Criticorum insolentia ita deperditam & sublatam esse, ut in uno saltem alteroque Codice ejus vestigia non deprehendantur. Ad Codices igitur cum editos, tum manu exaratos, unice provocant, ubi de textus conditione pronunciandum est, quos si amice conspirare viderint, nefas putant mutandi consilium inire; si dissentire intelle-

intellexerint, tum quidem, comparatis inter se contextus circumstantiis, ceterisque interpretandi mediis caute adhibitis, ac ipsorum Codicum antiquitate & praestantia sub examen revocata, judicium formant. Vicensim illa longissime amovent, quae nimiam ingenii foecunditatem spirant, aut externis iisque nimium fallacibus praesidiis v. c. $\tau\alpha\omega$ LXX. aut ceteris versionibus tantum innituntur, quippe quae non solum Auctorum suorum hallucinationes passim circumferunt, sed temporum quoque iniquitatem & audaces Criticorum vel vetustiorum, vel novorum, manus expertae merito censentur. Tempero mihi a laudandis illis, quos hujus consiliarii auctores habeo, cum id tantum agam, ut appareat, Cl. Virum, cum quo nobis res est, ab hac via regia & tuta longius discessisse. Illius enim, quam exhibet, lectionis vestigium nullum in Codd. vel editis, vel manu descriptis, ostendere unquam poterit, imo eadem nec ullius versionis exemplo, quod tamen cordatis Viris nondum satis facit, commendat, adeoque vel hoc nomine falsitatis merito est suspecta.

XXIV. Forte autem parallela exempla in Sacro Codice exstant, in quibus sententiae suae fundamentum repositum censuit Vir Clarissimus. Sed & illud, me judge, desideraveris: hanc enim sibi quasi legem dixit Codex Sacer, quam perpetua consuetudine firmavit, ut, quoties curruum militarium fit mentio, nunquam milites, ex illo praeliantes, conceptis verbis commemoraret, sed semper vel curruum ipsorum summam subducat, vel numerum prorsus nullum ineat. Provoco ad ea Scripturae loca, in quibus apparatus bellicus commemoratur. Hic mos speciatim obtinet, ubi currus & equites simul recensentur: tunc enim vel neutri generi numerum definitum additum videris, v. c. Gen. L. 9. vel utriq; ut 2. Sam. X. 18. 1. Reg. X. 26. 2. Chron. L. 14. &c. - Quid ergo obstat, quo minus de nostro loco idem dica-

dicamus esse statuendum, in quo equitum sive **פְּרִשְׁׂוֹם** ita fit
 mentio, ut certus eorum numerus, nempe sex mille, constet,
 qui propterea ex Scriptoris consilio, quod ad currus, desiderari
 non potest. Jam vero, si allatam lectionem **שְׁלִשִׁים** appro-
 bemus, de curruum numero nihil nobis exploratum erit,
 sed tota res ad conjecturas redibit. Quod si igitur Scriptu-
 ra Sacra constare sibi censenda sit, nec in hoc loco id factum
 esse suspicari velimus, cuius nullum alibi exstat exemplum,
 a recepta lectione minime fuerit recedendum. Forte autem
 Vir Celeberrimus provocabit ad Ex. XIV. 7. ubi mentio fit
שְׁלִשִׁים cum de curribus antea relatū fuisset. Verba ita habent:
וַיָּחֶשׁ מֵאֹת רַכְבָּ בָּחוֹר וְכֹל רַכְבָּ מִצְרָיִם וְשְׁלִשִׁים עַל בָּלוּ
 h.e. Et accepit sexcentos currus selectos & omnes currus Aegyptiorum,
 & praefecti erant illis omnibus. Vel ex versione intelligitur,
שְׁלִשִׁים hoc in loco non dicie eos, qui ex curribus pugnaturi erant,
 sed praefectos sive Tribunos militum, qui ex quorundam sententia toti exercitui, tam equestri, quam pedestri, cum
 Ducū auctoritate prae erant. Hoc modo interpretatur Chaldaeus
נָבָר שָׁׂתְּמָה רַתְקָן בָּחוֹן וְכֹל רַתְקָן מִצְרָיִם וְגַבְרִין מִפְּנֵן
 h.e. Et duxit sexcentos currus selectos & omnes currus Aegyptios: & viri praefecti erant omnibus illis. Sic alibi Chaldaica paraphrasis v. c. 2. Reg. XXV. 19. & Jer. LII. 25 ista voce
מִמְנָא de militum Duce sive praefecto quocunque utitur. Omitto ceteros Interpretes, interq; eos Divum Lutherum, quorum non alia est de hoc loco sententia. Vel, si minus hoc placeat, intelligendi sunt, quod magis probem, praefecti curribus quorum alibi etiam mentionem fieri videmus. Sic i. Reg. XVI.
 9. & XXII. 31. 32. 33. **שְׁרוֹ דְּרַכְבָּ** Duces curruum commemorantur,
 h.e. illi, qui currubus copiis moderandis praeerant. Proinde non video, quomodo, quod haec tenus conjectura assequor, Vir doctus ad hunc se recipere locum possit, ad aliquam veri speciem lectioni, a se inventae, conciliandam. Praeter hunc autem, quantum scio, non ullus exstat, qui ad institutum Viri majori specie trahi posit. Certe **שְׁלִשִׁים**

Pharaonis a militibus ex curribus pugnantibus distinguendos esse inde etiam patet, quod deinceps in ipso capite XIV. saepe פְרַשִׁים hoc est viri ex curribus pugnantes secundum phrasin Scripturae communiorem, non autem **שלשים** commemorantur, praeterea autem, in cap. XV. h. e. equites curules & **שלושים** distinguuntur: vide commia 2. & 4.

XXV. Ne quid tamen relinquatur, quod ad causam hanc omni ex parte conficiendam pertineat, operam dabis, ut appareat, **שלשים** hic se tueri nullo modo posse. Hoc autem perspicue intelligetur, si genuinam vocis **נָטוֹתָה** notionem, usu Scripturae confirmatam, exploraverimus. Illos itaque, qui **שלשים** vocantur, non levis dignationis fuisse, sed inter primos ex variis Scripturae locis apparent: vide 2. Reg. VII. 2. & IX. 25. Sic 1. Reg. IX. 22. **שרים** & **שלישים** conjunguntur ita, ut intelligas, utrosq; cum imperio praefuisse curribus & equitibus. Ita enim habent verba: **מִבְנֵי יִשְׂרָאֵל רֹא נָתַן שְׁלָמָה עֲבָר כִּי הֵם אֱנֹשׁ הַמְּלָחֶמה וְעַבְרֵי**

וְשָׁרוֹן יִשְׁלִישׁוֹ וְשָׁרוֹן רַכְבָּיו וְפִרְשָׁוֹ:

Ex his & ceteris locis S. Codicis non obscure appetat, ⁷⁸⁴ ejusmodi heroas fuisse, quorum imperio complures alii & procul dubio integrae cohortes paruerint. Interpretes Graeci LXX. reddunt τετάρτας, Vulgatus. Duces vel Principes vertit, Kimchius autem exponit per קצינים **ולגיטר** h. e. *duces* & *honoratos* & **שליש** appellari arbitratur, qui sit **משנה המלך** h. e. *infra secundum a Rege*. Neque discedit ab hac sententia Aben Esra, qui in Exod. XIV. 7. ita de hac voce commentatur: **רֹא כִּי הַמֶּלֶךְ רֹומָה כָּתוֹ**: ita de hac voce commentatur: **אָחָד בְּחַשְׁבּוֹן עַל כִּי יִקְרָא מִשְׁנָה אָחָד שְׁהָוָא בְּמַעַלְתָּה הַשְׁנִית מִבְּרוֹת** : **שְׁנִים** ואשר הוא במעלה **השלישיות** יקרא **שליש** : h. e. *scias*, *Regem esse instar unius sive primiratione numeri*, ideo *vocatur secundus*, qui in gradu secundo constituitur *extra dice* **שלישי** **שְׁנִים** qui vero est in gradu tertio, appellatur **ראשי צבאות** per **שלשים** h. e. *principes s. duces exercitus*. Jam negare nolim, non adeo explo-

exploratam esse Aben Esrae sententiam, qui שְׁלֹשׁ tertium a Rege facit, argumento ejusmodi innixus, quod ab origine vocis repetitur. Neque enim manifesta satis consecutionis ratio est, quod, cum שְׁלֹשׁ וּ שְׁלֹשׁ a quae vox numerum binarium exprimit, dicantur, eo nomine isti denotari soleant, qui tertium a Rege locum occupent. Saepius enim usu venit, ut vox aliqua adhibeatur ad aliquid denotandum, quod, non tam vi originis suae, quam ex consuetudine recepta, significet. Sicut igitur Rabbini, de Etymologia vocis investiganda laborantes, non raro fabulas invenerunt, ex quibus illius rationem reddere possint, quod post Constantimum l' Empereur & Jo. Christoph. Wagenseilium erudite monuit Campegius Vitrina c. VIII. de Decemviris Otiosis; ita non raro accedit, ut, ubi ex sola Etymologia significationem vocis aestimandam censemus, imprudentes in errorem abducamus. Vide Jo. Clericum Tomo I. Artis Criticae p. 130. & diss. II. de Interpretat. Scripturae Sac. commentario in Genesin praemissa. Quae causa est, cur istam, quam Rabbinorum ingenio debemus, significationem, vocis huius propriam dicere nolim, etiam si Hieronymus in c. XXVII. Ezechielis assensum sibi forte ab eo, quem Hebr. L. doctorem habebat, extorqueri passus fit. Tristatae, inquit, qui & terni statores vocantur, nomen est secundi gradus post Regiam dignitatem, de quibus scriptum est II. Regum, ad tres primos non pertinet, qui Principes equitum peditumque erant pariter & tributorum, quos nos Magistratus utriusque militiae & praefectos annuarii tituli nominamus. Omitto Gregor. Nyssenum, qui in c. XV. Exodi animum de significatione propria incertum sat prodit, cum variis notionibus, ad originem tantum resipientibus, in medium allatis, eam quoq; quae se Hieronymo probavit, commemorat. Inter cetera suspicatur idem, τριστατας dictos, quod terni uno & eodem currū veherentur, quorum unus esset auriga, duo reliqui pugnatores. Haec conjectura Henr. Valesii calculum promeruit, cui ex notis ejus ad

Eusebii Histor. Ecclesiast. p. 186. appetet. Ne quid vero hic dissimulem, ad Cl. Viri sententiam proxime accedere videtur Jac. Lydius, qui in Syntagmate de Re Militari p. 39. milites omnium maxime strenuos hoc nomine appellatos arbitratur, ut antiquostriarios referant, qui in locum duarum classium militarium, si utraque succumberet, tanquam potior exercitus pars, succedebant. Imo idem a vero sibi aberrare non videtur, si dicat, illam triariorum a ceteris militibus distinctionem a re Hebraeorum militari ad ceteras gentes, ac speciatim Romanos, esse derivatam. Erudite, fateor, nec sine ingenio haec comparatio instituitur, quae tamen tantum abest, ut conditionem $\tau\alpha\gamma$ שְׁלִשִׁים apud Hebraeos exhaustiat, ut potius Codicis Sacri usus eam nobis ampliorem repraesentet, qui non integras quasdam eorum cohortes, ad depugnandum tantum constitutas, sed potius tanquam cohortium primipilos, in aciem producit. Propterea malim acquiescere in illa sententia, quam Lydius huic succenturiatam voluit, quod scilicet שְׁלִשִׁים vel $\tau\epsilon\sigma\alpha\tau\alpha\gamma$ dicantur ab excellentia quadam & praestantia fortitudinis (addo ego vel dignitatis, aut potius utriusque) sicut in linguis tantum non omnibus observes, ternario numero vim extollendi rem in manus propriam fere esse. Ut itaque rem in summam contrahamus, non puto affirmari posse, illos Philistaeorum currus militares mille שְׁלִשִׁים onustos fuisse, cum Scriptura Sacra nusquam integras eorum cohortes, tanquam ex curribus pugnantes, sed ut Duces recenseat, neque verisimile sit, illos, qui praefecti Ducesque exercitus erant, seorsim & a cohortibus suis sejunctos, in praelio ex curribus pugnasse.

XXVI. Praeterea linguae Hebraicae genius non permittit, ut hoc loco a Scriptore Sacro profectum putemus. Ponamus enim, subintelligendam cum Cl. Auctore hic esse vocem *pugnantes*, cum non raro apud Hebraeos usu veniat, ut vox, ad sensum pertinens, vel ex praecedentibus vel ex sequentibus, vel tota sermonis serie, imo interdum ex voce quadam *contraria*, conjugata & analogia erui debeat; indicium tamen illius Ellipseos hoc in loco eadem ratione facturus mihi fuisse

vide-

videtur Scriptor Sacer, qua alias reliqui uti consvererunt. Scripturus enim, meo iudicio, erat רַכְבָּשׁ quemadmodum dicitur אֲנָשִׁי הַמְּלֹחָמָה vel שָׂרֵי הַרְכָּב 1. Reg. XVI. 9. quae loquendi forma familiarissima est Hebraeis.

XXVII. Porro nec id video, quomodo ne ducenti quidem currus a mille istis שָׂרֵי הַרְכָּב postulentur. Si enim, hoc praestructo, subducamus rationes, quinque heroas, quos appellat, uni currui tribuemus. Jam autem ex iis, quae supra fuse explicavimus, apparet, in profana, antiquitate, istis temporibus proxima, nominatim in Homeri Iliade, non extare exemplum currus militaris, qui plures duobus habuerit, quorum alter aurigae, alter militis vices obiret. Neque in Sacro Codice numerum hunc auctum inveneris, qui raro disertis verbis exprimitur, interdum autem conjectura erui potest. Locus 2. Reg. IX. 25. hic admodum videtur pertinere, qui ex plerorumque Interpretum sententia, suffragante contextus ratione, per מְרִים צְרִבָּים binos, Jehu scilicet & Bidcarum, eodem currus vectos, innuit. Sic. 1. Reg. XX. 33. Benhadad, Syrorum Rex ab Ahabo Israëlitarum Rege, in favoris argumentum, in ejusdem currus societatem assumtus dicitur. Simile exemplum existat 2. Reg. X. 15. Ex capite autem proxime antecedente apparet, praeter aurigam unum tantum eodem currus vectum esse, cum Joram & Ahias non eodem, sed diversis curribus, usi legantur. Ex his itaque conficio, praeter vectorem, vel unum, vel summum duos currus militari vehi solitos, adeoque non esse, cur dicamus, mille heroas vix ducentis curribus indiguisse. Pone enim duos heroas eodem currus vectos fuisse, quingenti minimum currus huic expeditioni destinandi fuerint, quamvis nondum liqueat, an, praelium suscepturi, & in acie constituti, bini ex eodem currus pugnare soliti sint. Evidem non ignoro, Jac. Lydium in Syntagmate modo laudato p. 139. currum militarem delineasse, quatuor equis instructum & decem minimum hominibus oneratum. Cum autem testimonium Scriptoris veteris adhuc desideremus, cuius copiam commentatio ejus non facit, nihil temere actores nos speramus, si de re ipsa prudentes dubitemus.

XXVIII. Denique nec cetera, quae de ista Philistaeorum expeditione relata legimus, patiuntur, ut magnam illam curruum copiam ad tam angustum numerum redigamus. Hic enim nimis foret exiguis, quam ut ceteris copiis responderet, quibus Philistaeos ita instructos fuisse testatur Scriptor facer, ut arenam maris multitudine exaequarent. Quod quamvis hyperbolice dici non inficiemur, validissimam tamen militum manum & ingentem numerum cogitatione nos assequi jubet. Cum vero gentes Orientis maximum praesidium in curribus suis collokarint, quod

non unus Scripturae locus confirmat, Philistae a communi consuetudine discessisse dicendi erunt, si in tanto ceterarum ac pedestrium copiarum apparatu vix ducentis curribus aciem suam instruxerint. Aut itaque istae praeter Scriptoris divini mentem contrahendae erunt, aut certe numerus curruum major statui debet, quam qui ex nova correctione nascitur. Atque haec quidem obstat nobis hactenus videntur, quo minus Viri Celeb. conjecturam approbemus, qui haec non ex contradicendi libidine a nobis dicta putabat, sed eo animo proleta censem, ut occasio ipsi nascatur, vel sic sententiae suaem majorem veri speciem, si fieri posit, conciliandi.

XXIX. Supra commemoravi, Jac. Lydium cum Lyrano & alii nonnullis ita locum interpretari, ut milites ex curribus pugnantes, non currus totidem, hic designari credit. Evidem non negaverim, illud tropi genus, quod Rhetores Metonymiam contenti pro re continent, vel adjuncti pro Subjecto, appellare solent, & alibi passim in Scripturis observari, & ipsam vocem רכב interdum afficere. Quo minus vero tropum istum ad hunc locum accommodemus, obstat videtur tum dictio historica, quae ab ejusmodi loquendi rationibus ut plurimum est aliena, tum perpetua Scripturae consuetudo, quae variis in locis, ubi apparatus bellicus ad rationes revocatur, currus eo modo enumerat, ut non possis nisi proprie de curribus ipsis, minime omnium vero de militibus, ex illis pugnantibus, accipere. Quod ad locos, a Lydio allatos, attinet, ac nominatim Psalmum LXXVI. 7. ultero largiar et libens, רכב sensu metonymico interpretandum videri, quia & verbum appositum נרם de curru proprie dici non potest, ac praeterea constat, poeticum & floridum dicendi genus in divinis Psalmac cantionibus obtinere. Alter locus Ps. LXVIII. 18. multo minus id efficit, ex quo tantum evinci potest, comparari Angelos cum curribus, quod illi aequale imo praestantius praesidium praestent hominibus, quam quod hi a curribus & equis exspectare conservenerunt. Eodem habitu respectu Eliam Prophetam 2. Reg. XII. 2. currus & equites Israelis appellatum fuisse apparet. Majori veri specie pro sententia sua afferre poterat locum 2. Sam. X. 18. ubi David septingentos Syrorum currus occidisse dicitur, quod cum in currus cadere non possit, de militibus tantum videri poterat intelligendum. Enimvero, cum non dubitem, Davidem idem hic fecisse, quod divino mandato c. XI. expresso excitatus Josua faciebat, ignique adeo comburendos dedisse currus, milites autem interfecisse, manifestum est, utrumque horum uno verbo explicari, quod partim currus ipsos, partim vero homines ex iis pugnante

tes respiciat. Denique si salva & genuina esset haec interpretatio, ea tamen locum hunc ita juare non posset, ut, quibus ille curruum numerus incredibilis videtur, nihil haberent, quod regererent. Cum enim supra evicerimus, currus non plures duobus, vel praeter aurigam unum tantum occupasse, dimidius tamen nempe 15000. curruum numerus supererit, qui itidem adversariis se minus probabit. Propterea etiam Interpretes Scripturae alii interpretationis hujus ita faciunt mentionem, ut alteram, quae propriae vocis significationi inhaeret, ei præferant. Sic B. Schmidius ad Samuelis locum haec habet: *Nos textum retinemus, & sequimur: undecunque coacti tot currus. Philistae enim multis annis bella gesserunt, & exercitium auxerunt. Jo. Drusius, locum hunc non dissimili ratione illustrat his verbis: 30000, hominum, qui e curribus pugnabant: Vide Liram. Aut curruum proprie: nam gens erat potens, & curribus valebat.*

XXX. Cum igitur causae graves nobis sint, cur in allatis hactenus interpretationibus acquiescere non possimus, quod illae & textui mutationem inferant, & cum variis rei circumstantiis conciliari non possint; tutissime receptae lectioni & plerorumque Interpretum expositio- ni, verbis ipsis proxime expressae, inhaerentes, triginta millia curruum a Philistaeis ad hanc expeditionem fuscipiendam coacta esse statuemus. Ita ut sentiamus, adducunt nos in primis ea, quae cum alibi tum in prioribus libri Samuelis capitibus de clade non una, quam Philistaei ab Israe- litis acceperant, leguntur, quemadmodum ipsum hunc apparatus bellicum praelium aliquod, in quo Philistaei inferiorcs erant, proxime antecessit. Proinde putem, Philistaeos omnia sua consilia eo retulisse, ut ab infensissimis sibi hostibus, quos fere semper victores viderant, tandem aliquando liberati tranquille agerent. Itaque, omnibus copiis & suis, & alienis, collectis, praelium aggressi sunt, majori apparatu, quam cui repellendo Israhelitae idonei & pares videbantur. Hactenus enim & suo & aliorum exemplo frequenter erant edocti, gentem Judaicam paucis etiam militibus conatus suos intervertisse, & cladem sibi non exspectatam intulisse: quod ne iterum sibi accideret, omni ope cavendum arbitrabantur. Quae igitur vis ipsis deerat, eam vel precibus vel pretio a vicinis gentibus ac speciatim Tyriis, quod non praeter rem ex Ecclesiastici XLVI. 20. 21. colligas, impetrasse non immerito existimantur. Nihil enim magis more receptum erat gentibus, quam ut conjunctis viribus eos adorirentur, a quibus & religione & vitae institutis moribusque ita fœuncti erant, ut vel ad nomen horrerent, praecipue cum forte timerent, ne idem sibi imposterum accideret, quod majoribus suis accidisse memine- rant,

rant, qui avitis sedibus expulsi in alias regiones migrare debebant. Quam
 causam puto fuisse, cur vicinae gentes, quaecunque demum illae fue-
 riati, opem suam Philistaeis non denegarint, quemadmodum alias Syros
 Ammonitis suppeditias tulisse intelligimus ex i. Paralipom. XX. commate ul-
 timo, qui tamen, ceu ibidem refertur, idem officium postea praestare
 recusabant prudentes, cum male se multari viderent. Simili ratione
 Philistaei Israeltis perniciem machinati sunt, & tantam currum mul-
 titudinem sibi compararunt, quibus muniti omnem eorum regionem
 pervagari, diripere & depraedari possent. Hoc enim iis consilium fu-
 ille ex commate XVII. intelligas, cui exsequendo non parva certe ma-
 nus destinari debebat. Nam neque terra Israelitarum angustis limitibus
 circumscripta erat, nec deerant illis copiae satis ampliae, quas numero
 exercitui opponere poterant. Sic i. Sam. XI. 8. Saul, cum Ammoni-
 tis conflicturus, trecenta millia ex tribu Israel & triginta millia mil-
 itum ex tribu Juda in aciem eduxisse legitur, quem numerum more suo
 ita auget Josephus, ut septingenta millia procudat. Majorem autem manum
 cogere potuisse Saulem, si vel voluisset, vel temporis id permisisset angustia,
 patet ex ingenti numero copiarum bellicarum, qui ex Davidis mandato a Jo-
 abo subducebatur 2. Sam. XXIV. 9. Tribus enim Israel octingenta millia, Ju-
 da autem quingenta millia suppeditabat. Qui igitur militum robore adeo
 valebant, illi, evertendi in primis & funditus delendi, valida manu at-
 que iis armis oppugnari debebant, quibus inferiores deprehendebantur.
 Tales autem erant in primis currus bellici & equites, in quibus gentes o-
 mne suum praesidium ita collocaverant, ut Sacra Scriptura in apparatu
 earum bellico illorum praecipue mentionem facere soleat, quae Israelitas
 etiam prohibuit, ne, in eandem fiduciam abrepti, armis iisdem con-
 tra hostes uti instituerent. Quod ipsum praeceptum hostes Israelitarum
 permovit, ut aciem suam in primis curribus munirent, quos scilicet in-
 gentes eorum copias avertere a se posse censebant, cum ipsi imparibus
 armis instructi venirent. Propterea etiam Philistaei, hoc bellum molien-
 tes, Israelitas fabris ferrariis privaverant, veriti, quod comma XIX. monet,
 ne gladios sibi, hastas & cetera hujus generis arma fabricari curarent. De-
 nique Philistaei bello in primis valebant, ut mirum videri nemini debeat,
 quod illi, qui longo usu exerciti, & quadam quasi praelundi libidine ab-
 repti erant, tantam vel currum vel militum copiam cogere potuerint. Sin-
 gula haec qui consideraverit, atque eas simul difficultates ad animum re-
 vocarit, quae contrarias sententias premunt, ille nihil, quod Clericus
 quidem censuit, a sana ratione alienum, aut quod irridendi
 materiam impius praebeat, hic deprehendet.

TANTVM.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn870589431/phys_0055](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870589431/phys_0055)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn870589431/phys_0056](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870589431/phys_0056)


DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn870589431/phys_0057](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870589431/phys_0057)

DFG



43

respicit, Tota, inquiens, questio est de loco posie-
, quem ad Eliam illum veterem Thesbiten specta-
unt LXX. Interpp. Verterunt enim: Ecce ego mitto
biten &c. Idem plerique sanctorum patrum, sacra
return tradunt, ut videre licet apud Riberam ad
ocat ad Versionem Græcam, in quā pro Hλια
am Prophetam, multis retrò seculis legebatur,
dui, Eliā Thesbiten. Unde Cyrillus Alexandrinus :

is οὐερότητος, καὶ ἀρέζουσις Ἰησοῦς, τὸν Ἡλίαν ιησοῦ
τραλάμψαντα παρέστησε, ὅτε παρέστη λαϊπόν ὁ κηρύ-
κος τῷ οἰκουμένῳ προσαγέγελλοντα. Argumentum
tolerantie Dei, quod Elias Thesbites quoque nobis
furis est, qui omnibus mortalibus affuturum judi-
Licet verò non tam ipsorum Interpretum,
γενφόρτων culpā vox οεσβίτης Versioni illata
uipe quæ, teste ipso Cornelio à Lapide, in codi-
reperitur, in Regia editione non item; factum
t, ut ille error ad Græcos primū Patres, dein-
& tandem totam Romanam Ecclesiam man-
nimus in eandem sententiam à Pontificiis alle-
Comment. in Matth. XI, 14. ita scribit: Sunt, qui
nnem Eliam vocari putant: quid quomodo in se-
is adventu juxta Malachiam processurus est Elias,
dicem annunciaturus: sic Johannes in primo fece-
it nuncius vel primi adventus Domini, vel secundi.
Matth. XVII, II. Ipse, inquit, Elias, qui venturus est
itoris adventu juxta corporis fidem, nunc per Jo-
nū virtute & spiritu. Coeterū etiū illum com-
it addictum fuisse, ex allatis verbis colligant;
o tamen queritur, cur Pater sanctitate venera-
nt. ad Mal. IV, propriā nempe sede dogmatis de-
dem non asseruerit? Ibi enim hæc verba legun-
ominus in Elia omnium Prophetarum chorū, qui

conver-